VENETO

£ 60 -

RAIMVNDI MINDERERI MEDICINÆ DOCTORIS, SERENISS: BAVARIÆ DVC: CONSILIARII ET MEDICI, AC REIP. AVGVSTANÆ PHYSICI IVRATI.

DE CALCANTHO SEV VITRIOLO.

EIVSQVE QVALITATE, VIRTVTE, AC VIRIBVS,

NEC NON

Medicinis ex eo parandis.

DISQVISITIO IA-TROCHYMICA.

FRIGIDIS, AC CRVDIS QVO-rundam de Vitriolo ſiniſtrè ſentientium opinionibus & ſententijs op-poſita.

AVGVSTÆ VINDELICORVM, apud Saram Mangin Viduam.

ANNO M. DC XVII

ATENEO VENETO VENEZIA

EXERCITATIONES
PARADOXICÆ
DE
DISSOLUTIONE
CONTINUI

AUCTORE

HIERONYMO CARDANO
MEDICO MEDIOLANENSI

BIBLIOTECA NACIONAL
BUENOS AIRES

EPISTOLA DEDICATORIA,

NOBILI ET MAGNIFICO VIRO D:

IOANNI FABRO BAMBERGENSI, Medicinæ Doctori, experimento & doctrinæ famâ celeberrimo, Sanctiſsimi Domini noſtri Pauli Quinti Pontificis Maximi Simplicium Medicamentorum Præfecto ſpectatiſſimo, & in vrbe Profeſſori, Domino amico ac fautori meo ſingulari.

HAgitaſti nuper vir Magnifice, vt tibi de Calcantho ſeu vitriolo, eiusque qualitate, vſu, & viribus, nec non Medicinis ex eo parandis, doctiſsimorum patriæ noſtræ medicorum opi-

nionem ac ſententiam, atque interim mentem quoq; meam aperirem, & ſi quid de eius effectibus ac plusquam efficaci opera compertum haberem quod priorum ſæculorum obſeruantiam forſitan effugiſſet, fidelitèr edicerem, ideoque ea ipſa quæ in medendo hac in parte inter cæteros germanæ noſtræ Germaniæ Pragmaticos longè celeberrimos notaſſem, non tibi ſolûm ſed & vniuerſis medicam facultatem vel affectantibus vel iamdum excolentibus palam facerem.

Ego verò meo iudicio in re tam arduâ haudquaquam fidens, vt quę inter viros celeberrimos, huius ſententiæ graues arbitros futuros valdè ſit adhuc difficilibus tricis implicata, & etiamnûm controuerſa, paululum ſubſtiti, ac dubius aliquantiſper hæſi, cum mihiipſi tantum vel ſcientiæ vel auctoritatis non tribuam, vt de eiuſmodi rebus quæ altiorem aliorum cenſuram ſinè dubio ſunt ſubitura, iudicandi aliquam auctoritatem temerè vel ſumam vel adſcribam, aut infirma mea tenuitate nixus, proteruâ quâdam ac impudenti ideoque ineptâ audaciâ, in doctiſſimorum virorum præſcita, ſancitasq; quo-

dammo-

dammodo leges inuolare, easque conuellere, vel eorum opiniones ac ſententias licet intèr ſe pugnantes magis confundere, aut eis contra ſtimulum calcitrando pertinacitèr oblu-ctari cupiam. Sed vt verùm fatear, non potui vir Magnifice petitiones tuas tam æquas prout reuera ſunt, vel deſertas in obliuionem abijcere, vel eas neglectim habendo ſeponere, præſertim cum ſciam à Galeni temporibus, qui & ipſe penitiores Calcanthi vires nondum ſua ætate aſſecutus fuerat, ad noſtra vſque ſæcula, vitrioli ſeu Calcanthi famam ac vſum nonnihil delituiſſe, ſiue id operarium ignauia, vel ingeniorum ſomnolentia ne dicam ſtupiditate, vel quorundam ſibimet ea quæ indagarunt ſecretò reſeruantium & priuatum commodum publicæ vtilitati prę-ferentium liuore ac inuidia acciderit. Eam enim eſſe mundi huius miſeriam dudum cognouimus, vt licet rerum perſæpè ignara, inani tamen ac ſupercilioſo quodam auſu inſolentèr de nonnullis quandoque differere ſtudeat, eaque pręſumptuosè docere nitatur quę ipſamet non intelligit, cum interim ea quę ob oculos poſita ſunt ac multiplici ex-

perimentorum fide niteſcunt, vel ignauię ſoporibus tenebricata negligat, vel inuido quodam magis quam æmulo ſtudiorum liuore confuſa poſthabeat, cum nudi quidam Peripatetici, philoſophię quam ſeſe penitus tenere autumant, vaſtu prętumefacti, adeo vt ſe ſolos ſapere exiſtiment, ſcientias aut artes à ſe vel non repertas vel non cognitas nihili reputent, ſed ſolis vanis ac vagis opinionibus vmbratili ſolum ratione confiſis, nulla autē factorum certitudine nixis pręgnantes, ſolos ſuorum ſæculorum ac dogmatum abortus admirandos & adorandos eſſe arbitrentur, ſaniores porro aliorum partus in quiſquilias detrudendos, ac tanquam illegitimos fætus à iure hęreditatis excludendos eſſe reputent.

Ac mihi quidem in conſideratione vſu & exploratione virium quas Calcanthum ſeu vitriolum poſſidet non ſine ſudore per tot luſtra verſanti, ea ſæculi huius calamitas obuenit, quę exercitatos quidem athletas & in hac arena diu cum laude victoriæ verſatos luctatores deſpicatui habuit, ac in antiquam ſyluam eundo paraſitos magis & blandimenta prętantes ac neſcio de quibus ſpolijs non-

nondum cęptis triumphantes ardeliones potius quam ſęcretorum & naturæ arcanorum laborioſos indagatores fouit, ac promouit, quorum ſuperbam petulantiam ſuo hoc fauore plus magis adauxit, etenim hi mollibus veſtiti ac per culcitras in aularum vmbilicis nutriti doxoſophi, eò impudentiæ ac arrogantiæ tandem deuenêre, vt non niſi ſuam doctrinam ſpontaneo proprij cerebri hiatu hauſtam, ideoque nil niſi quod ſibi ſanctum purumque crederetur, edici aut acceptari poſſe vel debere ſibimet perſuaſerint. Vnde ijs ſeſe artibus quarum ne rudimenta quidem nouerant audactèr immiſcere ac ingerere non erubuerunt, imò ſine vel ſcientia vel auctoritate præficere, aliorum ſcita conuellere, damnare, proſcribere, ac pro arbitrio exterminare non ſunt veriti. Atqui vero creſcente mox ſubſequentium ætatum ſtudio, è ſubſellio quod ſecurê ſeſe occupaſſe putauerant, & è gremio opinatæ ſuæ doctrinæ quamiam conſummatam penitus rati ſunt, pręter expectationem magno vulgi ludibrio protinus ſunt excuſſi, quando eos inſcitia per quam arti contumeliam inferebant, ac futurorum

præ-

prę̃sidiorum neglecta inuentio, humano generi tot accediæ aut pigritiæ detrimentis noxia, è ſublimis ſuę ſuperbiæ ſede præcipites, egit, ex cuius cathedra quondam perorantes, omnem ferè diſcendi occaſionem ac viam, poſteris, ne magiſtri à diſcipulis ſuperarentur prę̃cluſerunt, quando artium rimatio ſcueris præceptis interdicta exulabat, & qui ex metallis vel mineralibus humano generi quidpiam proficuum eruere ac in communem vtilitatem vſumque proferre conabatur ac ſatagebat, ac ſi venena venderet, in exilium actus, cunctis hac hominum calumniatione & falſo perſuaſu exoſus & ſuſpectus reddebatur. Veruntamen non tulit hoc arrogantiæ iugum poſteritas, ſed ſimplicium tam vegetabilium, quam animalium, imò & mineralium vires, facultates ac energias altius rimata, plurima eaque præclara, rara, ac vtilia prioribus ſę̃culis non viſa in lucem protulit, vnde inſignis arti Medicę̃ ſplendor acceſsit, prę̃ſertim, cum qui antehac metalla ac mineralia vt venena formidabant, nunc ea innoxiê inſtar Mannę ac ſacchari tractent & exhibeant. Exemplo nobis ſit ſolum vitriolum ſeu

Calcan-

Calcanthum, in cuius encomium hæc ipſa emittere libuit, quæ tibi vir Magnifice, quem indefeſſo ſtudio ac labore ſimpliciumnaturas perueſtigare, ac magno ſciendi deſiderio quo zeloſus teneris, ipſorum dotes publicæ vtilitatis cauſa indagare nouimus, oblata fero. Vnde ſententiam de vitriolo iam dicto, non modo meam, ſed potius aliorum doctiſſimorum virorum, inter quos olores ego anſer cenſendus ſum, his paucis accipe, ac ſchediaſma hoc, quod quidem tuæ Magnificentiæ dono, dico, ac dedico, pro tua benigna humanitate foue. Quod ſi quid in eo carpendum, vel emendandum videris, aut ab alijs ſcriptum hocce meum lecturis, haud rectè prolatum cognoueris, fideliter vt id corrigam, admone, doceri namque aueo, qui docere alios haudquaquam poſſum, proindeq; cenſuram hanc de Calcantho meam, non modo tuo, verùm etiam aliorum doctorum virorum iudicio, qui ſine vel proprio affectu, vel inuidiâ aut liuore eandem examinare & æſtimare voluerint, lubens ſubmitto. Vnũm hoc ſupereſt, vt te vir Magnifice rogem, quatenus raſuras haſce, non quidem dignas vt,

lucem videant,& tanto viro qualis tu es, offerantur, raptim inter practicos labores, itinerum distractiones & perturbationes alias quibus nostra vita fatigatur, atque interim succisiuis horis exaratas,æqui boniqúe consulas, quas,si quid boni,quod doctis placere, ac laudem mereri queat, continere abs te percepero, ouans id audiam: sin minùs, nullus tamen dubito, quin non adminimum iam dictæ meæ litturæ,debitæ obseruantiæ ac mei in te amoris memoriam sint testificaturæ. Vale vir Magnifice,meque vt facis, ama. Augustæ Vindelicorum Anno M. D C. XVII.

Magnific: Tuæ

Studiosissimus

Raimundus Mindererus Medicinæ Doctor,Serenis: Bauariæ Duc: Consiliarius & Medicus, ac Reip: Augustanæ Physicus iuratus.

AVCTO-

AVCTORIS

AD CANDIDVM LECTOREM PRAEFATIO.

CALCANTHI *seu vitrioli famam, à maledicis quibusdam iniquè traductam, & apud credulos nõnullos sugillatam, ac exosam redditam, pro modulo quidem meo tutaturus, protestatione priùs factâ, me Galenicis Medicis, qualis ego ipse sum, & me esse profiteor, (licet Hermeticas disciplinas Galenicæ doctrinæ nonnihil coniunxerim) nullatenus aduersaturum, nisi in quantum hi Spagyricam artem, quæ Hippocraticam & Galenicam doctrinam perficit, ac consummatam magis reddit studiosè si non malitiosè obscurare satagunt & oppugnare nituntur, indeq; eius nitorem toti mũdo conspicuum sine vel ratione vel fundamento, cõtra planam veritatem, in summam mortalium noxam, & totius generis humani graue detri-*

Auctoris protestatio.

Auctor contra Hermeticæ Veræ Medicinæ obtrectatores scribit.

mentum, inuidè obfuscare sibimet præsumunt, sed me ea solum indicaturum profiteor quæ non ratio solùm, verum etiam usus, fidorum experimentorum auctoritate nixus, per tot lustra ne dicam sæcula sanctè probauit.

Quandoquidem vero nobis hoc loci de Calcantho seu vitriolo sermo est futurus, beneuolum ac candidum Lectorem, pro maiori totius huius dissertationis intelligentia admonitum esse volumus, ut sciat & attendat, vitrioli vires, potius experimento & manuali operâ, quàm nuda ratione indagari ac cognosci posse. Etenim quamuis Philosophicas doctrinas & Physica theoremata, (quæ nullus sanæ mentis excluserit) non aspernemur, foco tamen hic non fuco opus esse arbitramur. Vegetabilium namq; vires leui elixatione fermè eruuntur, Animalium vero facultates iam nunc difficilius prodeunt, vndè vel assatione vel fortiori coctura, interdum & ustione indigent, cum mineralium opes, ac diuitis naturæ dona, vix per extremos ignes elidantur ac patescant, idq; non sine puluere, ut prouerbium ait, quem nonnulli purè, Galenici, tantoperè formidarunt,

Vitrioli vires experimento patescunt.

Vegetabilium vires facillimè, Animalium facultates difficilius, mineralium vires difficillimè eruuntur.

darunt, ut nihil hac in parte amplius tentandum sint arbitrati, solis inhærentes vegetabilibus, ut quæ facili labore extarent comparanda, & inexercitati quandoque Pharmacopæi inscitiæ ac titubanti fidei committi possent. Galenici labores Cyprios asseruantur.

Hærebat tunc temporis Medicina tota in Cathedris, Gymnasijs, ac Academiarum porticibus, totam scientiam sine ferè factorum certitudine comprehendentibus, eratque solo Philosophico discursu generali quadam area conclusa artis solennitas, nec in particularem usum ducebatur quæ ratio uniuersalis, attamen confusa inuenisse visa fuerat, cum eius temporis Medici, sese solos scientificos esse, suæ doctrinæ nihil amplius luminis accedere posse, non extare ampliorem discendi materiam, iam omnia excocta, rimata, limata, consummataq; esse sibi persuadentes, vndè alios artifices, aut scientiarum vel artium seueros indagatores, partim irriserunt, partim contumelijs affecerunt, & ex suis scholis, ne dicam Synagogis & conuentibus eiectos proscripserunt. Medicina Cathedralis.

Tum verò hac vel superbia, vel pigritia per aliquot iam sæcula depressa, & quasi in exilio ver-

Hermetica Medicina exilium.

ſata Hermetica Medicina, ex culinis ac officinis furnarijs (versâ in furorem patientiâ) tandem prorupit, & catus ſuperbientium illorum Medicaſtrorum, tædio, indignatione, ira, luctu, ac pœnitudine ſubitô confudit, quando non ſolis ac nudis rationibus, ex cathedrâ, ſicco & exangui prælio, ſed per potentiam in actum deductam, experimentorum fide, nec tamen ſine ratione pugnandum fuerat.

Manualis Chymicorum opera.

Hinc manualis opera, ac labor Chymicus neceſſariô requirebatur, ut is quid mineralia metallicaq; medicamenta præſtare poſſent ex ima radice erueret. Inde Medicina non ſolum ſcientifica ſed etiam operaria, ac factiua eſt effecta, experimentis rationum momenta certificantibus, artificibus & experimentorum indagatoribus, laborum tædia, diurnas nocturnasq; fatigationes, vigilias, ſudores, pulueres & quidquid laſſitudinis ars ea habuit haud auerſantibus.

Nec tamen adhuc Hermeticæ Medicinæ in lucem prodierant, ſed pleriq; ſua inuenta quæ emittere debuerant, occultare cæperunt, quantumuis aliqua de ijs ſcriptis mandaſſent, vnde

factum

factum, ut doctrinam suam quàm apparentèr tradebant, sine utilitatis ope sparserint, magnam sibi famam inde deductam iri sperantes, sirem alioquin obscuram, maioribus tenebris inuoluerent, in qua & ipsi quidem artifices, suo cum damno, grauiter impegisse, sunt obseruati, quando non sine magna negotij confusione, in hoc differendi genere, sine sale versati, quod lucidum ac palpabile erat, obscuritatibus confuscarunt, rem totam ambagibus circumcingentes, varijs fabulamentis, ac vanis quandoque erroribus, proprijsq; opinionibus, singularitate quadam insolentèr nixis, plus quam somnijs, ceu nebulâ obducentes, ut sic suis secretis, maiorem famam, auctoritatem ac gloriam compararent, quorum opem ac auxilia mundus nondum in propatulo senserat.

Hermetica Medicamenta ab ipsis reperitoribus sunt occultata.

Cæteroquîn hi ipsi, licet spagyricam artem Galenicæ doctrinæ iunxissent, nihilominus tamen complures discendi cupidos & ad altiora Medicinæ studia adspirantes, quos ad ardua hæc rimanda animare, hortari, ac persuadere debuissent, proposito inextricabili ac periculoso labi-

Chymici experimentatores, alios ne artem hanc rimarentur deterruerunt.

ryntho-

rynthorum ſuorum tranſitu, in formidinem actos, ab opere tam fœlici ac fœcundo, licet laboribus pleno, deterruerunt, ſic ars quæ inquirebatur, inter ipſos repertores delituit, & à proprijs artificibus ac ſi reperta non eſſet, eſt occultata, cum liuoris filia æmulatio, hanc ſtudiorum aream tantoperè perturbaſſet.

Hermetica Medicina apud Germanos reuixit.

Sed ut ad negotium noſtrum Calcanthinum reuertamur, extitiſſent fortè plures Medici præſertim inter Germanos, apud quos & inter quos Hermetica Medicina quodammodo reuixit, ac priores vires, non quidem perditas, ſed temporum calamitate nonnihil retuſas, reaſſumpſit, ac recollegit, qui mineralium metallorumq́ vires, publici boni causâ, fidelitèr ac copiosè deſcripſiſſent, ac ea quæ ſecretò tenebant, in commune bonum libentèr contuliſſent, ac euulgaſſent, quandoquidem verò ingratitudinẽ eorum notarunt, qui cum quidnam Mercurius, Sulphur, Antimonium vel Vitriolum ſit, & quibus dotibus polleat, penitus ignorant, nihilominus tamen non eamodo, ſed & alia medicamenta Spagyrica, conuitijs proſcindere malamq́ eis apud plerosq́

Germani libenter de Vitriolo ſcripſiſſent curq́ id non factum ſit cauſa recenſentur.

rosq; famam magna sedulitate ac crebra doloſa-q; subſannatione conciliare ſatagunt, ideo eoſdem non modo Calcanthi, ſed & cæterorum Spagyricorum ac Hermeticorum medicaminum doctrinâ minime dignos esſe censuerunt, ideoque eos ſuæ pertinaci ignorantiæ, & quam tam seuerè colunt, inſcitiæ, turpitèr inhærere, & in ſtupiditatis tenebris, ſua pro dignitate & libitu diutius verſari permiſerunt, vndè à puris ratiocinationibus, quibus capiendis vel intelligendis iam dicti Antichymici & Calcanthomaſtiges, longè ſunt inferiores, apud quos hæ ipſe in friuolas altercationes traducuntur, abſtinendo, ne aquam cribro haurire ac cum laruis luctari viderentur, rectè (meo quidem iudicio) tanto labori ſuperſederunt, ac relictis inanibus rixis, quæ contra lemures, futili & inutili niſu plerumque inſtituuntur, & fruſtra mouentur, inſuperq; contra indociles ac pertinaces homines, ipſi ſenſui ac experimento contrarios peraguntur, pacificæ quieti, ac Philoſophicæ potiùs ſolitudini vacandum esſe iuſtum duxerunt.

Pertinaciè Calcanthomaſtigarum.

Mirari interim nequeo, exteras quasdam

Exteragentes cur se Hermetica Medicina tam tardè ac serò dediderint.

nationes se his contẽplationibus non dedisse, qua alioquin omnium ferè artiũ inuentiones aut politiores culturas sibi adscribunt, imo eas insuper cõculcare, pessundare, & annihilare niuntur, nisi doctissimæ rationes experimẽtis cõiunctæ, adeoq; sensus ipsi horum hominum inscitiam ne dicam ineptiam retunderent, vndè non video qualis eorum philosophastrorum Calcanthum tantoperè

Aduersarij reipsa conuincuntur.

auersantiũ damnantiumq; excusatio tandem sit futura, si firmis rationibus, fidis experimentis ac actu ipso conuicti culpam suam fateri, ac cũ erubescentia, seu potius dedecore, id retractare coacti fuerint, quod prius tam firmitèr (uti sibi videbantur) vel potius audactèr ac temere asseuerare sunt ausi, nescij alienis in locis etiã homines degere, quorum memoriæ philosophia nondum excidit, quosq; nec Medicina rudes (ut ipsi arbitrantur) deseruit, sed qui armis & literis, hoc est ratione & experiẽtiâ, pro aris suis philosophicis, ac focis chymicis Hermeticospagyricis ac Chymico hermeticis sint pugnaturi. Igitur & ego vitrioli æquâ causâ militantis patrocinium meritô suscipiendum ratus sum, & licet eidem Calcantho

tan-

tanquam vino vendibili suspensâ Hederâ opus non sit, quia tamen vitrioli famam tot auis insignem ac celebratam, apud vulgus & credulos nonnullos pusillanimes potius quàm cautos aut circumspectos, per oblocutorum nonnullorum scommata falsè ac iniquè traduci ideoque nonnihil periclitari notassem, conscientia ductus, non potui non tanti medicaminis & auxiliorum ex eo parabilium, quibus tota Medicina tertias debet, hoc meo scripto veritati testimonium perhibiturus assistere, ac liuorem detractorum quos ipsa imperitia vel indignatio qua cum ipsi nihil sciant, alios quoque stupidos, ignaros, tepidos, insulsos, ac inscios esse vel manere optant, in eas calamitates detrusit, ut suam auctoritatem alitèr tueri nequeant, nisi aliorum famam canino quasi dente rodant, & quandoq; malitiosè rabido morsu conuellant, nonnihil reprimere, cum ut iam memoraui, ob rudium quorundam hominum contumelias, nonnullæ gentes abusu medicamentorum mineralium deterritæ, piaculi loco sibi duxerint, si pharmacis eiusmodi, licet ritè paratis ac ad Galenicarum indica-

Aduersarij stulti oblocutionibus detractionibusq; opinionem suam fulcire nituntur.

tionum obſeruantiam exhibitis & oblatis vterentur, cum tamen Diuina clementia, hominem non modo vegetabilium, ſed & animalium, ac mineralium ope ac diuitibus auxilijs, uti poſſe voluerit, adeo ut mortales, ijs quæ terra ſuffert & quæ ex animantibus depromuntur, quinimo & ijs quæ ex imis terræ viſceribus eruuntur gaudere poſſent.

Medicina Dei dono non ſolis vegetabilibus ſed & Animalibus ac mineralibus remedijs gaudere poteſt.

Hoc cum notaſſent poſteri, ac aliud eſſe cogitare quàm agere, aliud vero agere, quàm cogitare didiciſſent & optimè cogitata peſſimè quandoq; cadere obſeruaſſent, à rationibus ad experimenta confugere ſunt coacti, quô ſuam famam & auctoritatem tutarentur, etenim quæ firmiſſimis quandoque rationibus fulcita putabantur, ubi in uſum ducta fuêre, protinus interdum corruere ſunt obſeruata, quomodo multa in noſtra facultate Medica quoad Theoriam certa eſſe & expedita credimus, quæ poſtmodum in Praxi longè alitèr eueniunt, imô cum effectibus quos ſubſecuturos ſperamus (pace tantæ artis dixerim quæ inſons eſt, cum noſtrâ culpâ aut obſtinatione errores ij accidant) planè pugnant, hinc forſan natum

Poſteriâ Vegetabilibus ad mineralia quoque digreſſi.

natum illud protritum vulgi dicterium in Cathedra ſanari omnes, in Praxi vero interire plurimos.

Ars Speculatrix & Practica interdum non conueniunt.

Cum igitur externa quædam ingenia, hinc indè quæ per metallicas ac minerales operationes in morbis præſertim deſperatis præſtarentur cognouiſſent, Germanorum ingenia, quæ ſocordiæ inuoluta ac bibacitati dedita putabantur, ſuſpicientes, ea tandem aſſequi conata ſunt, ac in ijs laboribus ſudorem ponere cæperunt, qui apud Germanos non modo noua rurſus indagine reperti, ſed iam multo cum fructu acti eſſent, etenim experientiam triumphantem, ac in ſolio ſedentem meritô ſunt honorati, quamipſam demiſſo vultu, priorem ſuam pigritiam deteſtati, protinus adorauêre. Inter hos primi fuêre Galli, indè verò & Belgæ, accedentibus nunc quoque quibusdam Italis, qui tamen Chymici laboris tædia hucusque faſtidierunt, facilius ex Galenica quam ex Spagyrica aut Hermetica officina medicamenta depromi poſſe exiſtimantes, vtpote quod veſtes illorum, vtpote Ambra, Moſcho, Styrace ac Benzoino perfumatæ Her-

Exteri à Germanis Chymica medicamenta tadem ſunt mutuati.

Galenicorum Medicorum Gaſtus.

meticum odorem non ferant, & blanda chyrothecula ad carbones tractandos non sint accommodata, insuperq; serica tibialia ac calcei Sicyonij cineribus obambulandis inepti existant, quod dudum Paracelsus monuit, qui in Medico non vastum aut corporis ornatum, sed laboris sedulitatem ac experimenti fidem requirit.

Sed hac paulô fusius, & studiosè quidem, cum iuniorum quorundam ingenia hortari cupiam, ut in Hermetica Medicina nonnihil sui laboris collocent, ac Hippocraticam Galenicamq; medicationem, Spagyricis operationibus exornent, atque ut à tutioribus incipiant, solum vitriolum sibi examinandum proponant, semper in eo noui aliquid quod Medicæ doctrinæ lumen adferre queat reperturi. Neque vero Hippocratica Galenicaq; documenta negligant, sed Minerales Medicinas, prout & Animales ac vegetabiles, ad normam præceptionum Rationalis sectæ adhibeant, memores, artificem suo instrumento dominari, nec artem ob id immutari etiamsi hic carnibus, alter caseo, tertius olere pastus fuerit,

Iuniores Medici in solo sese vitriolo cumq; cognitione præcteris excercent.

fuerit, qui tamen omnes æque ſaturati ex Prytanneo diſceſſerint. Ego enim licet inter chymicos fumos natus, & inter ſpagyricos furnos ac fornaces educatus, fornicibus eorum crebrô adhæſerim, ut qui auo materno Laurentio Dano, & patre Balthaſaro Minderero, P: M: inſignibus ac famoſis ſui temporis (quod ſine iactantia dixerim) chymicis, ſim progenitus, Hippocraticam tamen Galenicamq́ methodum toto meæ Praxeos decurſu hucuſque ſemper ſectatus ſum, quam etiamnum amplector, promittens vouensq́, me ne latum unquam unguem ab ea receſſurum, aut ullo modo perfidum aut periurum hac in parte futurum, quantumuis non ijs ſemper Medicinis utar, quæ ex ſola vegetabilium aut animalium claſſe depromuntur, ſed quandoque Metallicis ac mineralibus remedijs gaudeam, quæ cætera medicamenta fulcitant, ne Medicina in deſperationem acta videatur, quando morbi noui, ac duriores, vel inueterati, puris vegetabilibus cedere recuſant.

Authoris parentes.

Author tursus ut in principio protestatur à Galenicis præceptis non discessurum.

Tu igitur quæso Lector benevole de mea fide ne dubita, cum ea tuæ utilitatis ac commodi causâ, charitate ductus proponere ac luci dare cogitem, quot ac quantas ex Calcantho seu vitriolo utilitates te consequi posse hucusque cognoui. Interim hæc intra Thermas Calcanthinas seu vitriolatas, quas nos Acidularum nomine complectimur, ad quas sanitatis recuperandæ ac fulciendæ causa præterita æstate concesseram, perfunctoriè, ac succisiuis horis scripta, ut æqui boniq; consulas, etiam atque etiam rogo.

Vale, & hæc quantulacunq; æquo animo suscipe, ac si faues, foue.

DE CALCANTHO
SEV VITRIOLO.
CAPVT PRIMVM.

Calcanthi essentiam, Originem, ac Notificationem exponens, &c.

ALCANTHVM Græci κάλχανθον, quasi florem æris seu cupri dixêre. Latini id Atramentum Sutorium, quod eo ad infectiones coria tincturi vtantur, ac tandem vitriolum, ideò quod pellucidum, diaphanum & transparens sit, ac vitri modo splendeat, nominare sunt soliti, *Calcanthum quare à Latinis Vitriolum sit dictum.*

Corpus est minerale, de genere salium, naturam æris seu cupri à quo profluxit, & cuius minera existit, in se continens, eiusque vires & facultates repræsentans. *Calcanthi definitio.*

Sunt autem Mineræ Metallorum quædam Matrices, in quibus hæc ipsa proprias ac genuinas suas sedes possident, donec pro suo gradu & indigentiâ, perfectæ suæ integritatis culmen attingant, & exactæ suæ concoctionis sibi debitæ, maturam perfectionem adipiscantur & obtineant. *Minera sunt Metallorum matrices.*

Hinc vnumquodque Metallum propriam suam habet Mineram, aut Minerale sibi affine. Vndè Auri Minera est

Vnumquodq; Metallum propriam suam habet minerам seu radicem.

Marcasita, Plumbi Antimonium, Ferri Pyrites, Stanni Magnesia,& cupri vitriolum nostrum, de quo hic acturi sumus,& sic de cæteris.

Varia Calcanthi seu Vitrioli species.

Vitrioli autem seu Calcanthi variæ ac diuersæ sunt species,vnius quidem sobolis ac progeniei,vel eodem genere oriundæ, sed loci,patriæ, soli, ac aliarum exterarum quarundam circumstantiarum varietate discrepantes.Prostat namque vitriolum flauum, cæruleum, itemque album, tum etiam viride & glaucum, insuper & rufum quod fossitiam calcithidem nonnulli esse haud abs re sunt opinati.

Diuersitas Calcanthi eius notionem perfectam nonnihil confudit.

Atqui vero tot colorum inter se dissidentium aduersitas,quæ in Calcantho eiusq; speciebus conspicitur ac obseruatur, vitrioli seu calcanthi notionem apud plerosque ambiguam fecit, eiusque sortes in varias considerationes deductas,multiplicibus difficultatibus si non inuoluit, saltem discrepantibus sententijs errore prægnantibus, curiosè confudit, quandoquidem sensuum persuasioni opinioniq; propriæ magis,quam experimento vel facto innixa posteritas, Calcanthi distinctas formas ac facies, in alia quædam Mineralium genera dispertijt ac diuisit.

Hinc orta tot Calcanthi nomina, tot vitrioli sortes,extat enim vitriolum vulgare seu Atramentum Sutorium, Calcythis,Cuperossa,Misij,Sorij,Melanteria,Calcanthum fossile,imò factitium illud, cæteris omnibus nobilius meritò censendum, naturâ & arte natum, quod ex cupro seu ære ipso,spagyrica operatione conficitur,omnes alias Calcanthi species superans,ac virtute excedens, quod vitriolum Veneris Hermetici nominare consueuerunt, de quo nobis inferius,ac paulo post vberior sermo est futurus.

Cupri calcanthum.

Calcanthum & Chalcitis.

Est igitur ac prostat imprimis Calcanthum fossile (seu Pyrites ærosus) durum illud quidem ac rubrum fermeq; silicis pondus ac resistentiam æquans, cui Chalcitis proxima

xima est, quæ vnâ cum prædicto Calcantho fossili è cauernis mineralibus Cuprum continentibus eruitur, vulgari nomine Teutonico **Hart Roth Atrament** dicta. Huius non nisi in chirurgicis medelis, apud nos vsus est, qua de re postea, vbi ad Calcanthi virtutes explicandas deuenerimus. Chalcitis tamen Theriacam ingreditur, de cuius eam ad compositionem adaptatione, & quare in tantam Antidotum recepta sit, infra dicturi sumus.

Misy.

Misij specie pollinis persistit, præsertim cum non multum efflоruit, cum alioquin gleba quædam sit vitriolata lutea, aut ad aureæ Marcasitę figuram accedens, sparsim scilicet scintillans ac stellis variegata, Germanis **gelb oder geel Atrament** dicta, ac si atramentum flauum pronunciares sicut & Sorij gryseum atramentum **graw Atrament** vocatur. Melanteria verò nigri atramenti à cuius notione, omnes cæteræ Calcanthi species, denominationem suam, licet impropriam sunt sortitæ, vel mutuatę, atramentum nigrum, ac ad plenam satisfactionem, duplici indicatu **schwarts Atrament** lici meruit, ea lanuginis instar ærifodinarum ostijs adhæresçit, præsertim verò ijs quibus Pyrites aut Marcasita Cuprea, vel Calcanthina, seu Calcithica inest, eos ad cauernas halitus expirans, qui contactu aeris, quodammodo congelentur, & Nitri instar parietibus penduli affigantur, salsedinis & acredinis omnino participes.

Sorij.

Melanteria.

Restat nunc Vitriolum nostrum seu Calcanthum vulgare, & si ita loqui licet vsuale, cuius hucusque omnis medicina indiguit, id autem plus magis hoc loco examinandum venit, quoniam & ipsum inter se in varias species diuisum esse videtur, nomen tamen Atramenti Sutorij semper retinens, quod ad infectus ac denigrationes sit expetitum, ex hoc nostrum conficitur atramentum, quo non modo præteritarum rerum memoriam, ac maiorum no-

Vitriolum vulgare seu commune.

ſtrorum res geſtas,ſed etiam propria ſcita, documenta, inſtructiones & extremas quoque voluntates chartis aſſignamus. Id autem duplex plerumque eſt, foſſile nimirum quod in commiſſuris ſaxorum,rupium cauernis ac cuniculorum faucibus concreuit, quando ex ſuæ originis fontibus in riuulos deriuatum,ſtillando prolabitur,ac ſui parte aliqua ijsdem adhæreſcit,ac ſi frigore gelatum ſubſiſteret, ſed id quô purius & ſyncerius exiſtit, eò rarius ad nos aſportatur,reliquum in offas coquendum in ahena demittitur,vbi coctionis vi,ac ope caloris exhauſta ſuperflua humiditate ſpiſſatur ac in lapillos cogitur,qui baccillis decocto huic ad medias inſpiſſato iniectis,ſpontè concreti hęreſcunt,ae in cryſtallos vitriolatos indurantur.

Ad Calcanthi naturam accedunt & vitrioli conditionibus affines ſunt lapides nonnulli Cuprum ſapientes.

Itaque in hac Calcanthi ſeu vitrioli area, concluduntur imprimis Cuprum ipſum, dehinc Cuperoſſa, Ærugo, Miſij,Sorij,Calcithis,Melanteria,Atramentum Sutorium, vitriolum vulgare,quod modo deſcripſimus,ac cætera his affinitate cognata,quin etiam lapides ipſi,Cupri ac vitrioli naturam ſapientes ac obtinentes, aut vim ac operationem ſuam ex Cupro eiusque minerâ nempè vitriolo deriuantes,vtpotè lapis Armenus,Malachites, Turchites ſeu Turchina,ac lapis Lazuli,eandem in purgando vim ac normam habens quàm vitriolum edit, etenim præterquam quod ſuo ſe ſapore prodit,non alitèr quam vitriolum verum infernè ſimul ac ſupernè potentèr ac validè purgat, easque in hac parte dotes poſſidet,quæ vitriolo ineſſe creduntur. Sed hæc forſan paradoxè.

Calcanthi natales.

Naſcitur autem Calcanthum in terræ viſceribus,iuxta æris vel cupri fodinas, natiuo ſanè ſolo, vtpotè æroſæ ſeu cupreæ penitus naturæ,à qua omninò dimanat, ac proficiſcitur. Etenim humor erodens, ac Pyriten æroſum continuo affluxu proluens, ea ſucci acerbitate aciditatéq;

imbui-

imbuitur, quam in vitriolo, gustu mediante percipimus ac sentimus. Neque verò mirum, aquam, cupri mineras aut Pyriten ærosum iam dictum, præsertim verò friabilem continuâ alluuione lambentem, ea Cupri ac Calcanthi qualitate saporeq; inficiam

Gutta cauat lapidem:

Sic aqua illa per loca atramentosa præterlabens eiusdem naturam induit, adeo vt etiam Cupri colorem assumat, non alium autem per se colorem cuprum prima fronte nisi viridem exhibet, etenim vel in crucibulo fusum ac liquatum, eximie virescit, cum tamen rursus refrigeratum pristinum suum colorem reassumat ac vt antea rufescat. Viriditatem coloris huius notauit Galenus 9. de Simpl: med: fac: de Calcantho scribens, vidisse se aquam viridem in piscinas elatam, quæ paucis post diebus in Calcanthum concreuerit. Accedit autem huic coalitioni coctura, quâ & per quam aqua vitriolata ad medias ferè inspissatur, vt dehinc vitriolum glaciei modo densetur, ac in Smaragdinos Saphyrinosq; Crystallos spontè lapilleſcat. Germani proindè vitriolum vulgari idiomate **Kupffer-wasser** (ac si aquam Cupri dicerent) nominare consueuerunt.

Modus generationis Calcanthi.

Vitriolum.

Kupffer-wasser.

Notandum porro omne vitriolum diutius auræ expositum, Misij generare, quod postea in Sorij mutato spontè colore transit. Obseruare hoc licet in triuijs illis ac vulgaribus mercatorum ac materialistarum (vt vocant) officinis, qui ad alliciendos emptores, mercium suarum specimina paruis doliolis contenta, antè valuas vel myropolia transeuntium oculis captandis proponunt, ibi inter Tripolim, Antimonium crudum, Alumen, Nitrum, Bolum Armenum vulgarem, Cretam, Rubricam Synopicam, & alia id generis simplicia etiam vitriolum venale exponunt,

Ex Vitriolo spontè generatur Misij et Sorij.

sed vbi id sæpius aëri expoſuerint, confeſtim cæruleum ſuum colorem amittit, primô palleſcens, hinc ad flauedinem demigrans, ac ſi puluere aliquo alieno conſperſum foret, priorem vero formam recipit, ſi ſalſugo illa quæ ſuperficiei vitrioli adhæſit, communi aquâ abluatur, vitriolum verò rurſus exiccetur.

Vitrioli palleſcentis formæ reductio.

Miſyos ac Soreos hanc generationem agnouit quoque Galenus, referens ſe ex mineris Cypri Miſyos glebam attuliſſe, quæ in angulo quodam muſæi repoſita, temporis ſucceſſu in Sorij conuerſa fuerit. Itaque vt experientia liquet Miſij eſt Calcanthi quædam efflorescentia, eidem circumquaque lanuginis modo adhæreſcens, cum ſupra Calcithidem & Calcanthum, Miſij non alitèr quàm ærugo ſupra æs naſcatur. Atque hæc de vitrioli, proſapia dixiſſe iam modo ſufficiat, quod paulô diligentius à nobis factum quilibet exiſtimet, ne lector tot diuerſis Calcanthi varietatibus confunderetur.

Miſyos ac Soreos generatio.

Nunc ad delectum vitrioli veniendum, aliqui enim vitriolum Romanum præ cæteris eius ſpeciebus extollunt, plurimi & rectè quidem Hungaricum ac id quod ex Iſtria defertur, repudiato Anglico tanquam infirmas vires habente. Nobis autem ſemper id quod acrius linguam ſtimulabat, aut acore quodam aſtringente, fauces non ſine aliquo ſalſedinis ſtimulo in ima penetrante conuellebat, quinimô colore cæruleo eoque lucido præditum, qualem colorem cælum ſerenum Eteſijs ſpirantibus exhibere ſolet, præ cæteris magis arriſit, tale eſt Pannonicum ex quo multa, imô plurima, in communem hominum vtilitatem, protulit Hermeticorum Spagyricorumq; artificum ſolertia, quæ populus ouans, in ſui ſanitatem ac commodum directa, notauit ac ſenſit, ideoque ope ſibi exindè præſtitâ, medicamina ex vitriolo hocce profecta, magnis honorum ac lau-

Vitrioli delectus ſecundum ſolum regionem ac patriam.

Vitriolum Pannonicum.

ac laudum encomijs celebrauit, ac ſumma cum gratiarum actione ſuſpexit, cæteris medicis rancida ac obſoleta ſua arte contentis nec vltra progredientibus, qui tamen ante aliquot ſæcula, hęc ipſa ob oculos verſantia in mortalium valetudinem accommodare ac tantis Dei opt: maximi bonis liberalitèr ac largè perfrui potuiſſent, in quos quadrat Senecæ ſententia qui 7. nat: quæſt: 25. ait veniet tẽpus quo poſteri noſtri tam aperta nos neſciſſe mirentur; præſertim cum Plin: 6. Epiſt: 21. dicat. Non eſt quaſi laſſa & effæta natura vt nihil iam laudabile pariat.

Vitriolum Cyprioticum.

Olim Cyprus optimum vitriolum ac laudatiſſimam Venerem ſeu Cuprum ſuppeditabat, poſteaquam enim Mars Veneris amplexibus implicitus à Vulcani vinculis & concatenatione ſolutus fuit, Mars protinus in Thraciam abijſſe ac Thracum Deus effectus fuiſſe putatur, quod Lycophronis enarrator innuit, Venus verò in Cyprum ex regione laudatiſſimum quondam vt iam modo diximus vitriolum ac cuprum aſportari fuit ſolitum, (æs enim Cyprium ſeu Venereum optimum habebatur) ſeſe contulit, vnde Poeta,

Diſcedunt ſubitò, Thracas mox ille petiuit,
Ipſa Venus Cyprum petit alma nata Diune.

optimi Calcanthi ac præſtantißimi vitrioli notæ potißimum ſunt quatuor.

Prima.

Sed hæc parergôn. Atqui vt ad vitriolum noſtrum reuertamur, optimi Calcanthi ac præſtantiſſimi vitrioli notæ hæ ſunt quarum quatuor potiſſimum recenſebimus reliquis præferendas. Prima eſt ſi ferream laminam præſertim leuigatam ac polutam nullo igne accedente cupreo confeſtim colore, ſolo contactu tingat. Probatius porro eius examen. hoc eſt, ſi ferrum in perfectiſſimum æs ſeu cuprum transmutet, quod quò citius fit, quôque cuprum euadit colore præſtantius tantò Calcanthum ſeu vitriolum cenſendum eſt melius.

Secunda.

Notus

Fons in Hungaria ferrum in Cuprum transmutans.

Notus est in Hungaria seu Pannonia, (quæ vitriolo multo eoque exquisitissimo abundat,) fons quidam & ex eo promanans torrens vitriolatus, qui quoduis ferrum in cupream calcem atterit, quæ postmodum calx, igne extremi gradus, follibus suscitato, in optimum ac laudatissimum cuprum minimè retrogradum liquatur ac reducitur.

In Ducatu Bauaria puteus ferrum similiter in perfectißimum cuprum convertens.

Monstrauit mihi non ita pridem, Serenissimus Maximilianus Comes Palatinus Rheni, vtriusque Bauariæ Dux, Princeps ac Dominus meus Clementissimus, tres clauos quondam ferreos, qui in Ducatu Bauariæ in puteum quendam atramentosum seu Calcanthinum aut vitriolatum iniecti, tractu temporis in perfectissimum cuprum conuersi fuêre. Horum vnus incudem passus, malleabilis repertus est, (vulgo **geschmeidig**) alter limæ morsu tentatus, eximiam cupri substantiam, quam exterior forma extimæ cuti subesse pollicebatur, perfectam ostendit, ac totum sese æreũ factum esse docuit, tertius aliqua sui parte discissus, totam substantiam ferri quod prius fuerat, in cuprum transisse demonstrauit.

Fontes in Italia arifici.

Scribit Philippus Gaeringus libro de Spadano fonte, esse in Italia & Hungaria fontes, qui ferrum omne in æs vertant, id quoque fons quidam Transyluaniæ, in loco **Zipierland** iuxta Carpatum montem, propè vrbem **Schmolnitz**, quo in loco aqua ea præterlabitur præstat, cuius forsan instinctu permoti rustici Hungarici in fontem Zipser nominatum, ferrum demergunt quod in purum cuprum transformatur, nec amplius ad pristinam suam naturam redire potest.

Fons Zipser.

Kuttenberg.

Similiter in **Kuttenberg** Marchasitam fundunt, & ferrum in cuprum mutant, quod non solum bonitate præstat, sed etiam malleo magis est tractabile. Neque hoc mirum videri debet, cum aquæ reperiantur quę ligna in lapides durent, aliæ lapides dissoluant, estq;

hic

hic naturæ lusus sibi consuetus & congenitus, quod Aristoteles nec credidit nec suo tempore cognouit. Vide hac de re Iacobum Mokium Medicinæ Doctorem eiusdemque in celeberrima Academia Friburgensi Brisg: Professoris ordinari tractatum, *De causis Concretionis & Dissolutionis*, inscriptum, vbi multa stupenda eiusmodi naturæ miracula reperies, Historicè, Philosophicè, & Medicè secundum veterum & recentiorum placita descripta, & iucundè tradita, curiosis maximè ingenijs complacentia. An non hæc est mira naturæ vis quæ talibus consortijs mineralia ac metalla inter se colligauit, vt vnum in aliud tam prompte ac facilitèr mutaretur? & verò ferrum quod semel in cuprum transijt ac mutatum est, nunquam amplius retrocedit, nec priorem suam formam ferream ac Martialem quam antea habuerat reassumit, utpote perfectionem aliam consecutum.

Iacobus Mokius Friburgi Brisg: Professor.

Mira naturæ vis.

Ferrum semel in cuprū mutatum non amplius fit ferrum.

Est itaque ferro Cuprum, & Cupro ferrum tam amicum, vt simul iuncta, confestim sese mutuò complectantur, cum omne ferrum mediante vitriolo facili negotio in æs transeat, atque hæc quidem duo metalla indissolubili quodam amoris ac affinitatis vinculo sunt inter se connexa, nullo vnquam dissidio separanda, quam quidem sympathiam Poetæ suis fabulamentis inuolutã occultè significarunt, eam sub Martis ac Veneris amoribus comprehendentes, & quia Mars seu ferrum cuprefactum propriam suam naturam non amplius retrocedendo induit, vt iam modo notauimus, significatum volunt, Martis licet bellicosi magnanimitatem, venustati Veneris cessisse, Veneris blandimentis Martis austeritatem longè superantibus.

Martis & Veneris seu Ferri & Cupri sympathia.

Videant Philosophi metallorum transmutationem impossibilem esse dicentes, docentesq; , quomodo vel quali-

Philosophorũ Metallorum transmutationem negantiũ lapsus.

tèr suam saluent sententiam, cum eorum imaginarias opiniones, experientia sensibus ipsis satisfaciens protinus confundat. Vndè fateri cogimur quicquid cernimus, palpamus, tangimus, ad examen ducimus, & ad trutinam ponderamus, nisi quis tam stupidus sit, ut sensibus fidem non habeat, aut tanto liuore cœcus euaserit, ut quæ oculis veracitèr objiciuntur non videat, aut tam pertinax ut agnitæ veritati impudenter reluctari audeat, contra quem fustibus non rationibus disputandum. Felices sanè essent artes, si de ijs non nisi artifices iudicarent.

Tertium electi ac laudati Vitrioli signum.

Tertium probi ac laudati vitrioli signum hoc est, si id crudum per os exhibitum vehementissimè tam supernè quam infernè purget, præsertim si vermes & ventris tineas deturbet & expellat.

Quartum exquisiti Calcanthi signum.

Quartum tandem signum hoc est, si aterrimum nigerrimumq; atramentum scriptorium præstet. Hoc autem in fine huius capitis adiunxerim, esse vnum vitriolum alio quoad Medicinam præstantius, ad chymiam enim ferè potentiores operas præstat Smaragdinum seu viresceens, ad Medicamenta verò paranda aptius & utilius usurpatur cęruleum seu Saphirinum. Veruntamen penes expertos sit iudicium, nos jam ad alia progressum facturi, huic capiti de notione vitrioli finem imponimus.

Quodnam Vitriolum Medicinis parandis sit accommodatius.

CAPVT SECVNDVM.

De Cupricalcantho seu Vitriolo Veneris.

COmmuni ac vulgari Calcantho, de quo superiori capite abundè egimus, haudquaquam contenta posteritas, vt cui multum adhuc cruditatis inesset, quodque excre-

excrementitia adhuc humiditate turgeret, ideoque vires obtineret plus magis consopitas & oppressas, alterius cuiusdam vitrioli, longè nobilioris ac præstantioris, sed artis ope & operâ comparandi, astructionem est molita, cuius præparationem sedulo tandem studiorum ac laborum suorum nisu est assecuta. Est autem id Cupricalcanthum seu vitriolum Veneris, quod ex ipso Cupro, quod iam mineralium classem transcendit & excessit. vtpotè metallicam suam perfectionem iam iam adeptum conficitur, id quia ex ipso Cupro seu Venere artis industriâ eruitur, meritò purius ac laudatius est censendum, quam vulgare illud ac crudum, minerale adhuc, & longis demum laboribus, ac multa fatigatione, eos in gradus extollendum, qui huic Cupricalcantho & Medicinis ex eo paratis vel parandis æquiparari possint, licet vulgare vitriolum easdem cum vitriolo Veneris vires obtineat, veruntamen non ita congregatas ac compactas, sed plus magis dispersas ac diffusas, ideoque debiliores, infirmioresq;, donec artis beneficio contrahantur, & ad perfectionis cuiusdam culmen euectæ consummentur.

Vitriolum Cupri longe nobilius quam vulgare.

Vitriolū vulgare longo ac operoso labore ad perfectionē deducatur.

Eius parandi complures sunt modi, ac normæ, artificibus diuturni laboris ambages varimodè & quoquomodo declinantibus, quorum quilibet breuiorem semitam ingredi & amplecti, & compendiosiore via intentum suum obtinere nititur. Nihilominus tamen, tota operis huius vis, energia, & absolutio, in diligenti æris seu Cupri calcinatione ferè fundatur versaturq;.

Varij Cupricalcanthi parandi modi.

Itaque si Cupricalcanthum hocce seu vitriolum Veneris parare volueris, sumito Cupri mundissimi ac perfectissimi, quantum volueris, id in tenues laminas malleo diductum, in parua frustula Coronatorū aut Ducatorum magnitudine discinde, ac lamellas has crucibulo indas, facto

Præparatio Cupricalcanthi.

ſemper cum Sulphure communi puluerisato, ſtrato ſuper ſtrato, ita vt prima area ſit Sulphuris, ſecunda Cupri, tertia rurſus Sulphuris, ac ſic deinceps, donec tigillum ſeu crucibulum repletum fuerit, hoc operculo tegito, ac commiſſuris luto clauſis & circumlitis, igne circulari ex carbonibus candentibus ſuſcitato circumcingito, ita tamen vt ignis crucibulum primô non attingat, ne laminæ æris fundantur, ſed tantummodo quaſi torreantur, indè verô igne propiùs poſt horam admoto, gradus caloris à ſecundo in tertium ac etiam paulô amplius intendatur, vt cupreæ laminæ à Sulphure attritæ, corroſæ, ac combuſtæ, in nigram quandam calcem redigantur, quæ æri vſto intra paucas horas haud abſimilis, excipi poſſit.

Cupri calcinatio.

Puluerem hunc vbi refrixerit, probè tritum cribro transmitte, eumque ollæ non vitreatæ ſed vt vocant crudæ ac apertæ ad latus ſupra ignem reclinatæ, quemadmodum Alumen ac Tartarum calcinari quibusdam conſueuit indito, & adhibito primitûs ſecundo, poſtea vero tertio ignis gradu, ferrea quadam rudicula, ſeu ſpatula, puluerem indeſinentèr conuoluito, ac agitato, eundem de vno ollæ latere in aliud diducendo, ſic vt materia non liqueſcat, ſed ſulphur ſolum quod in prima operatione relictum fuerat, penitus comburatur, & expiret, & non niſi pura ac ſola æris calx in pollinem hac calcinatione attrita remaneat.

Secunda Cupri calcinatio.

Huic calci ex Cupro ſic præparatæ, adde, in ſingulas libras, ſulphuris ſelectiſſimi vnciam vnam cum dimidiâ, miſce, & ollæ ad latus locatæ, ſimul mixta impone, ac ſupra lentum ignem per quadrantem horæ moue, tandem ignis augeatur vt penè olla candeſcat, cuprumq; inſtar paſtæ mollificatum rudiculæ adhęreat. Frigeſcat tunc totum, poſteaq; tritum cribretur, rurſusq; cum ſulphure vt modo dictum

dictum est in olla supra prunas agitetur, cauendo ne vnquam plus sulphuris ad libram vnam æris huius calcinati sumas quam vnciam vnam cum dimidiâ, proindè, si aliquid pulueris ex ære (prout fit) defecerit, etiam pondus sulphuris proportionalitèr esse minuendum, intellige.

Laborem hunc septies vel octies iterabis, puluerem semper prius stustiosè siccando. Vbi autem sic ritè attritum & in puluerem seu calcem redactum Cuprum fuerit, idipsum seu calcem iam dictam ex eo paratam, minutissimè puluerisatam, & in tenuem pollinem redactam, in patinam ligneam collocato, eique affundito aquam feruentissimam (pluuialis optima est) quantum ei largè diluendæ sufficere videbitur, tunc paulatim calx ea liquescet & resoluetur, aquamq; cæruleo colore tinget, quam colabis, ac colatam in vase figulino vitreato per coctura vltra medium euaporare sines, dum supernè cuticulam quandam aqua ostentet, & quasi crustam obducere videatur, reliquum frigori creditum vt gelascat, iniectis baccillis exponatur, quibus in Saphirinos Crystallos coactum Cupricalcanthum adhærere queat. *Infusio calcis Cupri.*

Qui maiori studio id parare voluerit, aquam eam cæruleam cucurbitæ vitreæ indat, atq; in cineribus leuiori tamen ignis gradu dimidiam humiditatis in cucurbita cõtentæ partem, vel paulô plus, destilatione per alembicum euocet & exhauriat, residuus liquor in spissamentum aliquod hac ratione coactus, immissis baccillis refrigeratus hærebit, ac gelabitur, aut vasis parietibus sese affiget, tanta pulchritudine, vt nullus vel vix vllus Saphirus ei comparari queat, residuam aquam quæ in strias vitriolatas non abijt, effunde, ac largius coque, vel euapora, iterumq; in loco frigido vt gemmas gignat colloca, fæces verò in fundo relictas rursus eo pondere sulphuris vt supra notauimus *Vitriolatus ventus.*

calcina, ex quo cinere si quid aquæ vitriolatæ ex qua iam lapilli prodierunt supereſt, lixiuium fac, quod filtro tranſmiſſum paulatim in vase vitreo vel figulino vitreato euapora, ac vbi cruſtam liquor nactus fuerit, reponatur in locum frigidum, vt in lapillos duretur, ac ſtrias in fundo vasis gignat, quibus productis, id quod ſupereſt phlegma abijce, cryſtallos ſicca, & inter theſauros tuos aſſerua.

Lixiuium è calce Veneris.

Adhuc autem perfectior præſtantiorq; Cuprei vitrioli ſeu Veneris vitriolatæ parandæ modus hic extat, quem à parentibus acceptum habeo.

Alius & quidem pulcherrimus Vitrioli Veneris parandi modus.

Sumito Æruginis ex Cupro mundiſſimæ, quantum volueris, hanc in aceto acerrimo diſſolue, illudq; acetum æruginе ſic tinctum, per lanam bombycinam cola, colatum ex vitrea cucurbita per alembicum age, ita vt plus quam media aceti pars in receptaculum tranſtillaſſe obſeruari queat, quod per alembicum tranſijt remoue, id vero quod in vasis fundo relictum ſupereſt in patinam vitream aut vitreatam amplam effundito, iniectis quadratis quibusdam ac oblongis baccillis, ſic æruginoſum hoc acetum in frigido collocatum Smaragdos generabit, eius quoad colorem præſtantiæ, cuius priores iam dictos Saphirinos extare iam modo notauimus. Smaragdinos hos lapillos rurſus in aceto ſed tamen diſtillato, (alterum enim turbulentum eſt & fæcibus non caret) diſſoluito, ac liquorem eum per chartam emporeticam ſeu bibulam (vulgo **Flieſspapir**) tranſcolato, quo in opificio arte opus eſt, & cuchimi, ne charta rumpatur, & in caſſum labor is abeat. non autem facile rumpitur, ſi charta pyramidis modo complicetur, vt infernè in cuneum deſinat, ac poſtea charta illa infundibulo vitreo eam circumquaque ambienti credatur, quô ſuſtentaculum habeat & non protinus liquata diffluat, in quam liquor colandus ſenſim valde, & non vno impetu vel pondere immitten-

Smaragdini Cupri lapides.

Dexteritas tranſcolationis.

mittendus, qua in re ars & experientia magistrum est effectura. Colatum hoc acetum viridissimum in cucurbitam vitream indito, affundendo ei Phlegmatis vitrioli à quo spiritus nondum sint abstracti vel separati, dimidium, vel plus si volueris, indè superposito alembico, mediocri igne extillationem liquorum & humiditatum harum, aceti nimirum & Phlegmatis vrge, tantûmq; earundem copiæ euoca, dum plus quam media pars in excipulum transfluxerit, residuum quod cucurbita tenet, prout supra documus, in amplas patinas, vitreas vel vitreatas vt congelascat effundatur, ac per dies aliquot iniectis si volueris baccillis frigori exponatur, tum vero qui adhuc lapillos inundat liquor, lapidibus Saphirinis adimendus, & maiori coctura vel ampliore distillatione densandus, iterumq; vt lapidescat ac strias Saphirinas gignat ad residentiam & congelationem reponendus, lapilli postea singulis vicibus siccandi & ab aurâ calidiore, (apertâ præsertim) custodiendi, alioquin albescunt, prout in vitriolo vulgari contingit, quod Misij statim generare diximus.

Phlegmatis Vitrioli cum aceto arificato coniunctio.

Caut.

Simili modo ac eadem planè ratione fit vitriolum Ferri seu Martis, sed id euadit viride, substantiâ ferri non in tantum concoctâ vel depuratâ purificatâq; quæ sese vt Cuprum eo perfectionis gradu ostentare audeat. Sed hoc rariùs.

Vitriolum Martis seu Ferri.

Habes iam quicunq; hæc lecturus es, gemmam illam pretiosam, quam dominus Devs tantis dotibus ornatam locupletauit, vt Smaragdos Saphirosq; si non æstimatione vel existimatione excederet, saltem viribus ac operationis efficaciâ superaret, aut vel minimûm, æquipollentiâ suæ facultatis adæquaret, in quam summus rerum moderator, omnium medicamentorum neruum videtur collocasse, eamque ex adytis ineffabilis misericordiæ ac omnipo-

Vitriolum Smaragdos & Saphiros virtute adæquans.

tentiæ

tentiæ ſuæ theſauris depromptam, mortalibus tanto bono fruituris, dono dediſſe, cum nullus ſit in rerum natura morbus ſublunaris, cui non ex vitriolo efficax ac competens remedium parari ac vtilitèr depromi queat, vndè ei meritò vniuerſa Medicina tres ſui partes deuouit. Etenim in hac radice deliteſcunt Mineralium Animalium ac Vegetabilium ferè omnium virtutes præcipuæ, imprimis verò omnes omnium Metallorum ſpiritus, vires, ac proprietates in vno vitriolo tanquam in ſua origine continentur, maximè verò Cuprei ſeu Venerei, dehinc & Martiales, Lunares, imò etiam Solares, qui immenſa ac inexplicabili virtute, ac viua actiuaq; efficacia exindè prodeunt & eruuntur. Exemplo ſit nobis vitriolum Cyprium magnam Solis ſeu auri quantitatem in ſe continens, ex quo ad vtriusque Luminaris, maioris nimirum & minoris, id eſt Solis ac Lunæ diſſolutionem, aqua paratur ſeu menſtruum veteribus philoſophis dictum, quod vulgaribus mineris absque additione non eſt conceſſum, eſt igitur vitriolum ſedes & habitaculum omnium ſpirituum Metallicorum, in ſe habens Sulphura, Salia, Rocchas, Ochras, Gillas, aquas & ignes, & ex contrariarum ac repugnantium qualitatum pugna ac prælio tonitrua, imbres, nebulas, grandines glaciamenta, niues, pruinas, & ſimilia, quæ Spagyricis inter medios labores verſantibus tædia demulcent ac faſtidia ſolantur, quando ex vno indiuiduo tot tamque diuerſas formas, diuerſis quoque imò etiam aduerſis dotibus inſignitas prodire cernunt, adeò vt theatralem quendam luſum præ oculis habere videantur.

N: B:

In Vitriolo omnium fere Medicamentorum vires deliteſcunt.

Vitriolum eſt ſedes omnium ſpirituum mineralium.

Labor circa Vitriolum artificem recreat.

Inuenies quoque in vitriolo Flammulas, Ranunculos Chelidonias, Oxalides, Hioſcyamos, præterea Solana, Plantagines, Centaureas, Hypericones, Perſicarias, imô etiam Helleboros, & quidquid earum rerum poſtulas, eſt enim vitrio-

Vitriolum potentiâ, etiam vegetabilium ac plantarum naturas & effectus in ſe continet.

vitriolum chaos quoddam infinitum omnium Medicinarum, præstat id namque Caustica, Escharotica, Sarcotica, Epulotica, Narcotica, Septica Stignotica, Repellentia, Attrahentia, Discutientia, Coarctantia, Aperientia, Deobstruentia, frigida calida & sicca, at in humidis non nisi cum humidis humiditatem operatur.

Comparatio Vitrioli cum Proteo.

Non quadrat alia in vitriolum magis par quam Protei historia, quem sese in omnes figuras transformare solitum fuisse Poëtæ fabulantur, cuius status & conditio cum vitrioli naturam exemplo sanè competenti declaret, venit is nobis hoc loco explicandus.

Protei parentes eiusque dignitas.

Sciendum porro est Proteum à priscis Neptuni & Phænicæ Nymphæ filium extitisse, licet Xantippus in rebus Lydiæ, eum Oceani & Theryos filium fuisse innuat, quem primum inter deos claues maris habuisse & rerum principia egisse commenti sunt, cui vaticinia, vndas, aquas seu flumina & æquorum potestates adscripserunt, de hoc Virgil. 4. Georgic. sic canit.

Protei descriptio ex Virgilio deprompta.

Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus, magnum qui piscibus æquor
Et iuncto bipedum curru metitur equorum,
Hic nunc Emathiæ portus patriamque reuisit
Pallenen-hunc & Nymphæ venerantur, & ipse
Grandæuus Nereus, nouit namque omnia vates,
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Applicatio similitudinis eiusque explicatio.

Atque hic est ille *cæruleus Proteus*, vitriolum, nempe cæruleum, in vndis ac gurgitibus habitans, vitriolum enim aqua est cuprea sed congelata, *claues habet maris*, vitriolum enim omnes alias aquas aut aquarum gelamina superat, qualia sunt Nitrum, Tartarum, Alumen & similia quæ facili negotio in aquas soluuntur ac diffluunt. Cæruleum est vitriolum sic dictum ob excellentiam, is enim color ei est

natiuus, licet omnes colores edat præcipuè vero præter cæruleum, viridem ac rufum & fuſcum.

Pallene.

Proteus hic per quem vitriolum indigitamus *Phocis bipedibus vectus*, id eſt ratione & experientiâ pateſcit *Reuiſens patriam Pallenem.* Pallene eſt vicus regionis Atticæ in tribu Antiochena, quò forſitan pertingunt triumphi Pallenæi apud Stat: lib. 4. Syluarum, &c. Reuera Calcanthum ſeu vitriolum nunquam in patriam reuertitur ſine triumpho, etenim dextrè adminiſtratum vel adhibitum, grauiſſimos morbos profligat, ac eorum ſpolia dirimit, obſeruabiturq;, id inter omnes alias medicinas primas tenere, vndè & cæteris ſublimior exiſtit, proindè non immerito grandæuus ille Nereus qui vt Orpheus in Argonaut: opinatur Deorum antiquiſſimus putabatur, Protei iunioris ſagacitatem eſt admiratus, prout iam iam vetus Medicina cũ Adamo in Paradyſo creata ac ab Hippocrate noſtro, Galeno, ac veteribus alijs in quantum id ea ſæcula conceſſêre exculta, quæ vetuſta ſimul & venuſta exiſtit, attamen faſces demittit, ac cærulei huius Protei, nempè vitrioli opera admirari, ſi non aſſequi conſueuit.

Medicamina ex Vitriolo dextrè adminiſtrata nunquam ſine fructu decedunt.

Nereus.

Grandæui Nereis cum veteri Medicina comparatio.

Proteus maris Deus habitus,

Dictus quoque Proteus maris Deus vt notat Heſiod: in Theogon: & vndarum rector: certè vitriolum cæteras aquas vt iam ſupra diximus ſuperando gubernat, & gubernando ſuperat, non habens ſibi ſimilem, quæ in riuos tam fœcundos, ac flumina tantæ vtilitatis diffluat, ac humani generis fœcunditatem irriget.

Multitudo Nympharum copiam medicamentorum ex Vitriolo parabilium deſignat.

Suſcepit autem Nereus ex Doride vxore maximam Nympharum copiam, quibus ſignificatur, ex vno vitriolo, infinita fere Nympharum ſeu medicamentorum genera vel ſpecies depromi poſſe, ſuntq; multiuariæ vitrioli opes ac remediorum theſauri Nympharum harum multitudine deſignatæ. Sed Homerum de Proteo lib. 4. Odyſſ: ſcribentem

bentem audiamus, is enim Protei iam dicti variformis conditionem sic describit.

Concußit ceruice iubar, leo factus & inde
Fit Draco terribilis, modo Sus, modo Pardalis ingens,
Alticoma aut arbor, nunc frigida defluit vnda
Nunc ignis crepitat.

Homerus de Proteo.

Vides hic vitriolum, quod si ceruicis iubas concusserit, id est aquositatem, & spiritum volatilem deposuerit, Leo fit, atque is est Leo ille viridis Riplæi, omnium animantium intellige medicinarum vires superans, indè fit Draco: nam Colcothar abstracto phlegmate, & exusto vitriolo venenum euadit, vnde statim vrere, exulcerare, vesicas ducere, ac caustica sua præpotenti vi lædere, aut exustione crustas inducere solet. Modo Sus: intellige vitriolum vomitivum, de quo postea verba facturi sumus, id enim vomitus ratione reddit hominem obscænum à quo omnis ciuilitas morum tantispèr est aliena, donec vitriolum opus suum perfecerit: Modo Pardalis ingens: Pardus versicolor est & pelle plurimis maculis variegata vestitus, sic etiam vitriolum, id enim varios & plurimos colores edit, variasq; tincturas in se continet. Alticoma aut arbor: Spiritus est vitrioli in altum sese pandens, ac cerebrum potissimûm exercens, in quo quasi Quercus aut alta Populus frondes suas exerit. Nunc frigida defluit vnda: Aquæ sunt metallicæ vitriolatæ ad quas pro refrigerio, inuictis ac deploratis morbis oppressi ablegantur, de quibus quidem aquis in fine huius disquisitionis iuuante Deo sat copiosè acturi sumus. Nunc ignis crepitat: pro diuerso vitrioli apparatu, etenim extrema frigiditas, cum summa caliditate coniuncta se varimode pro operantis manu & dexteritate, vel artificis intentione prodit, vndè quoq; vitriolum assimilari potest Icelo seu Phobetori varias animalium formas ad figuras

Vitriolum est Leo.

Draco.

Sus.

Pardalis.

Arbor.

Vnda frigida.

Ignis crepitãs.

Icelus seu Phobetor somnia-

rum ac phantasmatum magister.

per insomniorum visiones obtrudenti de quo Ouid: 11. Metamorphos:

Fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens, qui sicut Epidaurius anguis pestes hominum depellit & fugat, ac Dei cuiusdam medicantis officium exercet, mortalibus ægris quoquomodo beneficus.

Vitriolatæ gemmæ encomium.

O benedicta glacies, ô vitrum crystalloides, ô gemma Saphirina & Smaragdina inter cæteras præclarè scintillans, tibi humani generis quantum ad corporalem Medicinam salus credita, tibi tot mortalium salutes concessę, tibi tot ciuium vitæ concreditæ, peculium suum apud te depositum habentes, tibi diuitûm opes, tibi pauperum miseriæ, tibi inquilinorum vitæ, tibi ventriculorum concoctiones, lienorum opificia, iecorum sanguificationes, renum sequestrationes, vesicarũ cataclysmi, Mesaraicarum venarum ostia, mesenterij anfractus, abdominis labirynthi, intestinorum facultates tam retentrices, quam expultrices debentur, tibi chylificationes, sanguificinæ, ac Cambij distributiones subnexæ hærent, tu caput recreas, tu ventriculum instauras, tu iecur restituis, tu meatu choladocho reserato molestæ futuræ bili sui abitus viam monstras, tu lienem minuens schirrhos dissoluis, tu obstructa reseras, ac nimium laxa constringis, tu renes, vreteres ac vesicam expurgas, frangis calculos, lapides atteris, tu sanguinis grumos dissoluis, ac in vniuersum ea præstas, quæ hominum saluti conseruandæ ac reparandæ debentur, ac necessariô expetuntur.

Vitriolum omnium facultatum naturalium dux.

Sed ne quispiam nos profusius in vitrioli laudibus hoc loci versatos fuisse arbitretur, præsertim nondum accedentibus ijs documentis quę ipsi rei fidem facere queant, stylum iam modo abrumpimus, ad vitrioli qualitates generatim consideratas explicandas accessuri, vbi plura de Calcanthi

canthi viribus fidelitèr tradita legentur, quorum copiam opuſculi progreſſus ſuppeditabit, quando vitrioli in ſuas partes diuiſi anatomiam ſigillatim ſuſceperimus, quas in diſquiſitiones beneuolum lectorem remittimus, hoc interim monentes, ea quæ de Cupricalcantho aut vitriolo Veneris celebriter hic prolata ſunt, de communi vitriolo eadem ratione prædicari poſſe, niſi quod id vbi ad perfectionem redigendum fuerit, prolixiori labore indiget, eosdem alioquin cum Cupricalcantho effectus edens. Sed hæc poſtea.

Vitrioli Virtus in ſingulis eius partibus pateſcent.

CAPVT TERTIVM.

Calcanthi ſeu Vitrioli qualitates generatîm conſideratas explicans.

QVicunque Calcanthi ſeu vitrioli qualitates exactè cognoſcere ſatagit, is vt naturam prius & conditionem Abſinthij, Rhabarbari, Aloes, Opij, Camphorę ac Acetii intelligat neceſſe eſt, hæc enim omnia prout & vitriolum diuerſis, imô etiam aduerſis qualitatibus ac viribus planè diſcrepantibus ſunt prædita, etenim Abſinthium ſtipatam laxat aluum, laxamq; reſtringit, frigidum iecur calefacit, & ex accidenti oſtructiones aperiendo calidum hepar refrigerat, vndè Icterum tollit, febres arcet ac fugat, bilem domat ac expellit, tam calidis quam frigidis iocinoris languoribus ſuo modo dextrè exhibitum familiare. Rhabarbarum ac Aloe laxant & aſtringunt, adeo vt Rhabarbari vſus in Dyſenteria præclaram perſæpè opem viſus ſit præſtitiſſe. Opium & Camphora non Medicos ſolûm, verum etiam Philoſophos mirum in modum torquent & exagitant, quando tam contrarij effectus ab ijſdem prodeunt,

Ad Calcanthi naturam intelligendam multa requiruntur.

ingeniorum quorumcunq; præsertim vero curiosorum aciem haud leui dubiorum turbine confusam perstringentes. Sed quid de vitriolo sentiendum sit videamus.

Dioscoridis de Vitriolo sententia.

Dioscorides lib: 5. cap. 74. de Vitriolo seu Atramento Sutorio sic scribit. *Valet adstringere, calefacere, & crustas inducere: latas ventris tineas necat drachmæ pondere deuoratum, aut cum melle lineum vomitus ciet, aduersus hausta fungorum venena, ex aqua potum auxiliatur: purgat caput aquâ dilutum & in vellere naribus instillatum. Vritur at paulo post in mentione Chalcitidis ostendemus.* Hæc Dioscorides Galenus lib: 9. de Simpl: Med: Fac: sic de Calcantho sentit.

Galeni de Vitriolo sententia.

Ceterum mirari subit de hoc medicamento, quo pacto vehementissimæ adstrictioni, admixta est caliditas non instrenua, constat ergo quod omnium maximè condire seruareque carnes humidas potest, nimirum caliditate humiditatem absumens, atque adstrictione substantiam contrahens, atque constipans, hoc enim opere, nonnihil etiam humiditatis ipsius exprimit: constringit verò, desiccat atque contrahit, in sese substantiam carnis. Idem sensisse videntur reliqui veteres vtpotè Aetius Tetrab: 1. Ser: 2. cap: 33. Paulus Ægineta lib: 3. Oribasius lib: 2. cap: 6. Cornelius Celsus & alij complures ac fermè omnes prisci, quorum sententiam etiam Neoterici hucusque (verûm suo modo intellectam) ratam tenuêre.

Veterum de Calcantho opinio.

Neotericorum de Vitriolo dogmata.

Alioquin vero si Neotericorum de vitriolo sententiam audiamus, qualitèr id primâ sui fronte apparet, ac secundum externam tantûm formam consideratur: vulgus sanè Medicorum in multis contrarium asseret, aiunt enim ac docent Neoterici, vitriolum refrigerare, adstringere, coarctare, nihilominus tamen valentèr aperire, abstergere, incidere, attenuare, in ima penetrare, deopilare, Erisypelata ac sacros ignes reprimere & ambustis mederi. Et reuera ita se res habet monstratq; experimentorum euentus Neotericorum hæc documenta suis haudquaquam fundamentis carere, quando vel crudum vulgus oblæsiones ab igne

factas

factas, perfusâ atramento ambustione, inflammationem sedant, etenim ipsimet plebæi cumprimum se quis corporis parte aliqua exusserit, chartam confestim bibulam, aut pannum attritum atramento imbutum ambustæ parti superimponit sicq; inflammationem intra paucum tempus reprimit. Sed hoc vnicum obiter tantum hic exempli loco prolatum sit, quo autem modo veteres ac Neotericos hac in parte conciliemus videndum, & hic forsan opus hic labor erit, sed intelligenti facilis.

Vitriolum ambustis medetur.

Quid igitur agendum? exterminandi ne prisci ac veteres Medici tantæ auctoritatis viri, à quibus nos ipsi Medicamentorum fidem accepimus? Neutiquam: eliminandi ne sunt Neoterici? quorum experientia, sedulitas, industria, indefessum studium, ac gnara obseruatio, quidnam vlterius in rebus lateret ac delitesceret indagans, plurima communi bono vsui futura, atque insuper experimentorum certitudine fulcita in lucem protulit? Nullatenus. Dicat igitur quispiam beneuolus, quid in hac rerum confusione ac tanto animorum dissidio, vel opinionum discrepantium ac contrariarum (vti videntur) sententiarum definitione pronunciandum esse censeat. Reuera res periculo non vacat, ac in inquilino hoc bello Medico plures succumbere posse videntur, quam si in apertum hostem excursum facientes pleno ausu dimicarent.

Difficultas de Vitriolo inter Veteres & Neotericos.

Attamen ad rei huius intelligentiam, si tamen mihi minimo fas est aliquid eloqui, & de negotio hoc satis arduo, non quidem quidquam decernere (quod mihi non assumo) sed solùm differere, aliqua sanè sunt præsupponenda.

Circa Vitrioli perfectam notionem aliqua præsupponenda.

Primum hoc est, veteres externam solùm Calcanthi seu vitrioli formam, ac qualitates in propatulo positas tantummodo considerasse, nec vlteriorem eius ad medicaminum structuram adaptionem suscepisse, vel quod ea tædiosa

nimis

nimis ijs visa fuerit, vel quod in tanta farragine medicamentorum, quæ tunc temporis Arabia, Græcia, Italia, Ægyptus, Æthiopia, Cyprus, &c suppeditabat præceptoribus nostris singula censendi, indagandi, perscrutandi ac ad amussin (vt aiunt) examinandi tempus defuerit, quod sine dubio alioquin non sine fructu præterlabi, & remediorum eorum energiam non sine insignium documentorum ac penitiorum ab ijs prodeuntium facultatum indagatione abire passi fuissent. Vnde Galenus ipsemet loco supra citato 9. nimirum Simplicium ad finem capitis innuit, se quasi obiter solùm circa hæc versatum fuisse, cum inquit. *Hæc habui quæ tibi de Calcantho exponenda censerem, & sanè forrtasse non necessaria, cæterùm quæ scire præstaret quàm ignorare.* Quod si Galenus Calcanthi tractationem non adeo necessariam esse est arbitratus vt modo fatetur, credibile est eum in vitrioli qualitatibus explicandis, ne dicam indagandis circa corticem tantum versatum fuisse, nucleum autem minimè eruisse.

Prisci externam solùm Vitrioli faciem ac qualitates primis sensibus obuias considerarunt.

Iurare autem ausim, si Galenus Vitrioli vires facultatesq; (quales iam patescunt, aut quæ iam dudum patefactæ senilis illius ac vetustæ Medicinæ fulcra sunt ac Scipiones, sine quorum sustentaculo hæc ipsa dudum graui lapsu corruisset) cognitas habuisset ac perspectas, eum integros tomos ac volumina, non libros & capita solùm de eius virtutibus ac efficacia scripturum fuisse. Miraretur sanè si cognosceret Medicinas olim sibi familiares hoc stimulo vrgeri, hoc sale condiri, hoc additamento perfici, ac demùm huius beneficio suo in gradu consummari.

Vitrioli penitiores vires si agnouisset Galenus integra de eo scripsisset volumina.

Secundo notandum, veteres inter tot vitrioli species nihil certi definijsse cum tota quasi Calcanthi notio tunc temporis in confuso hæsisse visa fuerit, vndè ipsemet Galenus tam perplexus in viribus vitrioli enumerandis ac explicandis

plicandis extitit, vt miratũ se liberè fateatur quomodo caliditati nõ obscuræ, tanta sit consors adstrictio, cũ vt supra in textu Galeni recensuimus dicat. *Cæterûm mirari subit de hoc medicamento quo pacto vehementißimæ adstrictioni, admixta est caliditas non instrenua.* Et qui modo dixerat vitriolum vrere, eodem libro Neotericorum sententiam præuertens de Melangraphico seu atramento scriptorio hæc habet. *Atramentum quo scribimus, admodum & ipsum desiccat, aquâ solutum, ulcera autem igni ambusta protinus illitum iuuat: at si acetum quoque habeat multô magis.*

Veteres in Calcanthi mentione confusi, sparsim locuti sunt.

Tertiò quam maximè considerandum hoc est, veteres vitriolo vix vnquam crudo vsos fuisse, sed vsto tantummodo vel prius cremato, ac fermè in Colcothar reducto, quod suo capite de Colcothare ac Chalcitide mox subsecuturo Deo dante declarabimus. Fouent meam hanc opinionem veterum scripta, imo etiam & pharmaca quæ vitrioli admixtione parare fuerunt soliti, licet etiam Calcantho puro vterentur, attamen tosto, vel vsto ac demûm eloto. Vitriolum autem ipsum quod iam iam crudum ambusta restinxerat, vstum protinus vrit, nec vnquam vstione lædit nisi prius vratur in Colcothar. Sanè Actuarius lib: 2. Method med. cap: 5. in oculorum affectibus, non nisi Calcantho vsto & postea loto vtebatur, ac Celsus quoque lib: 5. de re Medica, cap: 10 ad sanguinem supprimendum crassa solûm Calcanthi materiâ vtebatur, externis tantum vitrioli elementis attentus, cuius anatomiam internam, & inreriores medullas, reuerâ veteres ignorarunt, qui tam titubantèr circa vitrioli doctrinam explicandam sunt versati.

Veteres vix vnquam vitriolo crudo vel saltem rarius, sed vsto vt plurimum vsos fuisse.

Vitriolum non vrit nisi prius vratur.

Actuarius ac Celsus quomodo vitriolo vsi fuerint.

His præsuppositis cum moderna philosophorum, Hermeticorum ac Spagyricorum totâ scholâ dicendum censeo, vitriolum seu Calcanthum mixtæ esse facultatis ac diuersis dotibus insignitum, diuersas quoque imô etiam aduersas intra se qualitates congregasse, nec vero mirum vi-

Quæstionis decisio.

deri debet, vni & eidem ſubiecto contrarias qualitates ſecundum diuerſas ſui partes vel conditiones ineſſe, id enim à philoſophia Ariſtotelica non eſt alienum. In vitriolo namque reperitur ſumma caliditas quæ Cauſticam vim exexcet, atque inſuper ſumma quoque frigiditas, quæ totum corporis habitum ſupercalefactum ad ſymmetriam ac commoderationem iuſtam reducit, qua de re vbi ad acidularum tractationem acceſſerimus plura Domino Deo iuuante proferemus. In hoc Calcantho ſumma corroſio, ac ſumma quoque ſtipticitas, carnes regenerans, vlcera deſiccans, ac cicatrice claudens. In hoc vomitus concitandi præſens inſtrumentum, at eiusdem reprimendi ſiſtendi ac cohibendi efficaciſſima vis continetur. In hoc calida frigidis, humentia ſiccis ſociata tantiſpèr conquieſcunt, donec à Spagyrico perito ac exercitato artifice Hermetico ab inuicem ſeparentur: & elementorum diſgregatione diuidantur. Vndè (quod benè notandum) quot in partes vel ſpecies vitriolum diuiſeris, vel quot formas ex eo elicueris, tot habebis easque diuerſas vitrioli qualitates ac operationes, adeò inter ſe pugnantes ac diuerſas, vt ex vno ſubiecto tam varia remedia ac inteſtino inter ſe diſſidio pugnantia pharmaca prodire vel poſſe vel potuiſſe incredibile quodammodo reputetur. Aliud enim operatur Phlegma, aliud ſpiritus, aliud Colcothar, aliud Sal, aliud Creta, Gilla, ac terra eius dulcis, aliud Sulphur ex hoc prodiens, aliud tandem oleum ipſum, de quibus rectè ordine ſeruato dicturi ſumus, vitrioli qualitates plus magis ſingulis in capitibus explicaturi, vt quid quæque vitrioli pars poſſit ac valeat omnibus pateſcat, & quomodo elementarium facultatum radices ſecundum diuerſas transplantationes (id eſt præparationes) varimodè immutentur cunctis innoteſcat.

Vitriolo mixtas qualitates poßidenti diuerſæ operationes inſunt.

In quot partes Vitriolum diuiditur tot diſcrimina qualitatum & operationum præſtat & edit.

Diuerſa ex Vitriolo remedia

Interim

Interim pacato hæc animo suscipe, ac sine liuore considerando quæ modo protulimus tecum ipse rumina, dum alia videas in doctrinæ huius notificationem ac disquisitionis huius perfectiorem illustrationem mox proditura.

Author plenior em Vitrioli explicationem pollicetur.

CAPVT QVARTVM.

De Aquoso Calcanthi liquore seu Phlegmate Vitrioli.

VItriolum seu Calcanthum vulgare nil aliud esse quam aquam congelatam ac glaciem quandam æroſam superius diximus, vnde vitriolum crudum protinus liquatur & in quauis aqua vel liquore non oleagineo promptissimè dissoluitur, hinc nullam patitur lotionem, cum confestim in humidam ac aqueam substantiam resoluatur ac diffluat. Depuratione vero nobilius redditur, ac purius, si id aquâ purâ solutum fuerit, quæ postmodum aqua per filtrum colatur, colatura coctione ad medias inspissatur, dum cuticulam supernè contrahat, indè vero eo modo de quo in capite de Cupricalcantho diximus, baccillis iniectis frigori exponitur, sic solutum Calcanthum rursus lapilleſcit ac in gemmas coit, quæ baccillis immersis hæreſcunt, fæcibus in colatorio antè coctionem partim relictis, partim in residuo decocti (quod coacto rursus vitriolo abijci debet) per sequestrationem relictis ac fundum petentibus.

Vitriolum est sussar glacies.

Depuratio Vitrioli.

Itaque vitriolum selectissimum vel hac ratione purificatum sumito, eoque cucurbitam amplam ad medias adimpleto, superpositoq; alembico, ac commissuris vtriusq; vasis benè clausis ac obseratis, aqueam vitrioli humiditatem aucto per gradus ignis vigore, in Balneo aut ex cineribus tantisper vrge, donec tenuiores quosdam spiritus in-

Phlegma Vitrioli.

ſtar halituum aſcendere notaueris,tum à deſtillatione ceſſa,& habebis aquam limpidam in excipulo contentam ac phlegmatis vitrioli nomine inſignitam.

Plurimi Vitrioli phlegma contemptim reiecerunt.

Liquorem hunc vitrioli primum plerique chymici ſpretis vel non cognitis eius dotibus tanquam crudam ſuperfluam & excrementitiam Calcanthi humiditatem ideoque inutilem ſibi viſam reiecerunt,in qua tamen ſpiritum illum aëreum ſuam habere reſidentiam,& in his vndis delitеſcere Paracelſus ſtudiosè monuit, circulatione,cohobatione, rectificatione & iteratâ ſæpius diſtillatione extrahendum,eliciendumq;.

Theophraſtus Phlegma Vitrioli facta cohobatione in altiorem gradum euexit.

Philippus Aureolus Theophraſtus Paracelſus à vitrioli phlegmate vlterius progreſſus,nec hoc ſolo contentus iam dictum phlegma Colcothari ſuo reddidit, idq; nouies aut decies cohobauit,atque ſic ſpiritus cum humidos tum ſiccos congregans, medicamentum longè potentius effecit ac magis efficax. Is in Epilepſia non ita multum tribuit oleo vitrioli, id enim terreſtre magis eſt ac metallicum, ideoque fundum petens, iecoris,lienis, ventriculi, renum, meſenterij, veſicæ, ac partium nutritioni dicatarum affectibus magis congruum ac oportunum. Deſiderat vero (prout capite ſequenti de Spiritu vitrioli dicturi ſumus) in Medicamentis Comitialibus & ad Caducum morbum, Conuulſiones, Spaſmos, Apoplexias ac vterinas ſuffocationes pertinentibus, ſubtilem quandam ac penetrantem volatilitatem , ceu ſpiritum quendam animalis facultatis organa luſtrantem,pererrantemq;,licet oleum ex accidenti,vbi nimirum Epilepſia à conſenſu partium infernarum aut nutritioni vel generationi dicatarum ventriculi nimirum aut vteri dependet, potiſſimam curationis partem obtineat. Spiritum tamen ſemper magis probat, vt qui aëreus ſit, ideoq; facilius ad caput vehatur, & affectam par-

Medicamina Epilepticorum Spirituoſa eſſe debent.

tem

rem tantô citius pererret, ſalutaria ei auxilia præſtiturus. Vndè Tomo 4. ſic ait. *Summum arcanum pro caduco eſt in vitriolo non in oleo, ſed volatilitate, id eſt ſpiritu vitrioli, ideo volatilitas,* (intelli ge phlegma & in hoc contenti ſpiritus quẽ ſuprâ in phlegmate hoc ſtabulari diximus agilitatem) *non eſt reijcienda, ſed cum oleo tertio aut quarto igne fortißimo diſtillanda, pellicananda, aut retortanda. Tum enim oleum acquirit naturam volatilem. Sola namque volatilia aſtris imperant.* Hæc Bombaſtus: qui etiam alibi quoad Epilepſiam, Spiritum vitrioli, eiusdẽ oleo præfert cum ait. *Quidquid caducum curare debet, oportet ut ſit penetratiuum, & totum corpus permeet, centrumque morbi inquirat. Verûm cum oleum ex Colcothare diſtillatum naturam habeat terreſtrem, & ultra eam regionem cui exhibetur non egrediatur. Hinc eô minus cura caduci ab eo perficitur.* Verûm de his ſequenti capite plura.

Paracelſi de oleo & Spiritu vitrioli diſcrimen in operatione ad diuerſa.

Itaque de Phlegmate vitrioli vlterius differendo, hæc ſubiunxerim, eſſe id mundi huius quandam quaſi margaritam. Et ſanè ſi Galenus noſter ſolum vitrioli phlegma agnouiſſet, quod multi potentioribus ex Calcanthi pharmacis prodeuntibus inhiantes reijciunt, auſim polliceri pro Pergameno meo hoc præceptore ac liberè ſpondere, eum dimidiam ſuorum medicamentorum quæ magno ſtudio, multo labore, ac longis itineribus in Ægyptum, Palæſtinam, Alexandriam, Romam, Cyprum Lemnumq; ſuſceptis, deſerturum, & ſoli huic medicamini fidem ſuam ac fiduciam crediturum fuiſſe. Vtinam is cortices & quiſquilias vitrioli æuo ſuo cognitas habuiſſet, is enim tanti ingenij vir, ab vlteriori indagationis perfectioris operâ non deſtitiſſet ſed penitiores vitrioli facultates altius rimatus ad maiora penetraſſet, ad quorum quidem aliqua, Neoterici noſtri deuenêre, attamen licet tota ſedulitate mundus in exquirendis vitrioli facultatibus iam aliquot ætatibus omnem ſuam induſtriam poſuerit, firmiter tamen ea in opinione hæreo, eum ne quartam adhuc vitrioli & medicinarum

Vitrioli ſolum phlegma inſtar unionis habendum.

Galeni itinera pro exquirendis & indagandis medicamentis laboriosè ſuſcepta.

Vide Gal: 9. de Simpl: med: fac: de comp: med: ſec: gen: Plinium lib: 29. cap. 1. & auctorem Vitæ Galeni.

narum ex eo eliciendarum partem eruisse, quantumuis tot, tamque præclaris remedijs Calcanthinis Medicina tota gaudeat, quæ vitrioli exactam ac penitus consummatam intelligentiam, adeô vt nihil ei in tot partes Spagyrica operatione diuiso cognoscibile amplius inesse posse reputet, tradidisse ac in lucem protulisse, sibi ipsi persuadeat & cæteris polliceatur.

Moderni medici quartam vix partem dotum vitrioli callent.

Si tota Medicina non haberet ex vitriolo aliud remedium, quam solum phlegma, tamen id [etsi nomine ipso sit despicatum] inter cætera medicamenta vt gemma fulgeret, ex cuius radijs plurima alia pharmaca scintillare possent.

Tota Medicina vitriolo maximas debet.

Atque hic est Ros ille benedictus quem dominus Deus tos dotibus locupletem humano generi pro gloria sui sanctissimi nominis est liberalitèr elargitus, qui non chymicis solûm operationibus in quibus plurimûm potest, sed & Medicis vsibus præsertim deseruiret. Atqui vt à minimis ad maxima progrediamur, experimento constat, phlegma hoc vitrioli Lichenas, Impetigines, Nomas & Erisypelata tollere, vlcera maligna repurgare, putrida mundificare, carcinomata eo colluta, & vlcera quæ Cachoëte vocantur eius vsu purgari, ac medicinis alijs postmodum promptius obtemperare, medelamq; faciliorem suscipere, insuper eius vsu cutem polliri ac à scabie quacunque repurgari. Hinc fit vt nullus Cuprifaber, vel artifex ærarius scabie tentetur, vtpotè qui quotidiè cuprum vitrioli prolem ac sobolem tractet, eâq; aquâ in qua æs candens extingui solet, sæpius de die manus madefacere consueuerit, quæ nullam psoram patitur. Vnde extant rithmi hi Germanici.

Ros vitrioli benedictus.

Vtilitates Phlegmatis vitrioli.

Nullus faber æraius scabiosus.

Kein Kupfferschmid ist vns bekandt/
So hette ein Räudige Handt
Wann er sein Handwerck treibt vnd übt/
Kein Rauden jhm seine Fäust betrübt.

Rithmum

Rithmum hunc eximius quidam politioris literaturæ vir, sic in Latinum carminico metro transtulit.

Nunquam æris fabrum scabiosâ cernere dextrâ
Contigit: infestat non genus hoc scabies.

Atque alitèr sic:

Quam faber æra diu resonante incude retractat,
Illius haud scabies asperat ulla manus.

Vide quæ de fabro ærario vlterius leguntur.

Non unquam visus faber est ærarius esset
Cui scabiosa manus:
Si nauus fabricam exercet, non sordida dextram
Inficiet scabies.

Hæ sanè vtilitates à vitriolo illique affini ære ac Cupro prodeunt, quæ etiam crudæ tantas operationes in re medica absoluunt, vt non iam tantoperè expetantur radices Helenij, Aristolochiæ rotundæ, Scrophulariæ, Iridis, Chelidoniæ, Cortices Rhamni ac Frangulæ quibus alioquin prurientes cuncti, ac scabiosorum totus exercitus gratias & habet & debet, imo ipsum Sulphur, quin & Mercurius sua sede decedunt, omnium alioquin opinione cæteris ad psoras, lepras, impetigines, ac Elephantiases declinantibus sublimiora. *Vitriolum cætera cutem expolientia superat.*

De ære seu Cupro ac artificibus circa id versantibus cum tam appositè scripserit Poeta quidam solennis è Soc: Iesv, cui forsitan vitrioli facultates aliqua ex parte perspectæ erant, libuit animi causa, iucundos eius versus in decorem huius opellæ apponere, qui sic habent.

Aeris apud veteres multus fuit usus honorque:
Temporibus nostris nec minus æra valent.
Quippe ferè vitæ concluditur usus in ære,
Quo sine difficilis nullaque vita foret.
Cuditur hinc nummus, leges morum, indè magistræ
Intuisæ æratis stare solent tabulis.

Vtilitates ab diuersi aris seu Cupri quod ex Vitriolo nascitur Vsus.

Pocula vasa coqui, trullæ, peluesque, scapique,
Fornaces, abaci, limina, balneola,
Ostia, Lichnuchi, valuæ, labra, atque lucernæ,
Summa columnarum scilicet ære nitent.
Aere nitent tripodes, statuæ diuûmque hominûmque,
Seu stent in plano, siuè ferantur equis
Teutonicum Nectar, Lupulus quod condit amarus,
Vasto consueuit semper in ære coqui.
Aera fero reboant bello, clanguntque sacratis
Aedibus, & populos ad pia verba cient:
Quare si tanta æs fert emolumenta, suanè
Qui domat æs poterit laude carere faber?

Fabrorum aerariorũ commodum.

Quam benè communi de re meruisse videtur,
Commoda ferre cui, tantaque totque datum est:
Vnicus is faber est ærarius: ergo decebunt
Præmia magna virum: quæ? careat scabie.
Nimirum sana est æris tractatio membris,
Quæ scabiem fabris non sinit esse suis.
Huc mihi cuncta voces æraria tecta nec ullum
Sordida cui scabies pruriat inuenies.

Allusio ad textores sub solo habitantes, aut opificia sua infra terram exercentes.

Sit fas assiduo sese truisse fricatu,
Quos sol pulsa inter stamina nullus adit.

Hæc de Ære seu Cupro eiusque pertinentijs sat dicta sufficiant, adhuc autem vitriolati huius phlegmatis multæ ac innumeræ vtilitates nondum explicatæ superſunt quas obiter sic reliquis pragmaticis in vlteriorem vsum ducendas proponimus. Inter cætera verô eximie prodest Aphtis ac oris ex putredine natis exulcerationibus quales post febres longas emergunt vel Scorbutum illum insolentem comitantur. Vnde vtilièr eo os colluitur aquâ aliqua conueniente vtpote Plantaginis, Prunellæ aut Centinodij remixtum, sic partes stringit & putredinem ac serpentia oris vlcera coërcet ac persanat, (vulgo **Mundfeulein**) laxis gingiuis firmitudinem præstat, dentes dealbat, eosque vac-

Plures alia Phlegmatis Vitriolati operationes & effectus solennes.

cillan-

cillantes firmat, muccum circa radices eorum hærentem abstergit, eademque loca purificat, saporem ori inducit tollens linguæ fastidia, quæ in ardentem prunam (vulgo breune) excurrere potuissent.

Datur porrô phlegma hoc commodissimè febrientibus, aquâ Cichorij, Endiuiæ, Acetosæ, Nymphææ, Lactucæ, Fragariæ, aut aliâ conueniente remixtum, lautâ sanè ac largâ dosi: est enim remedium securissimum, quod purgato prius corpore vtpote alterando febres fugat, obstructiones viscerum quascunque aperit, ac penetrat, oris amaritudinẽ tollit & auffert, fastidium cibi adimit, appetitum instaurat, prassinam bilem, eiusque ferociam domat, & fellis quosuis motus insolentes, aut molestos, ac periculo quandoq; plenos impetus compescit, ac exustis partibus internis solatio est.

Vsus phlegmatis Vitrioli in febribus.

Reliqua Phlegmatis Vitrioli commoda.

In Epilepsia ac morbo Comitiali, cum aquâ vel Spiritu Cerasorum nigrorum, aut cum stillatitio Pæoniæ, florum Tiliæ, Roriſmarini, aut Liliorum conuallium, vel Dentariæ liquore, saluberrimè porrigitur, præsertim si ex consensu oris ventriculi, & neruorum sexti paris ei implantatorum conspiratione morbus originem traxerit, aut exindè dependeat.

Vsus phlegmatis Vitrioli in Epilepsia.

Sunt hæc rara ac chara remedia, spiritus tamen vitrioli potentius operatur, suamq; operationem citius absoluit. Phlegma vero tametsi infirmius sit, continuato tamen usu idipsum præstat, quod spiritus, licet paulò tardius, phlegma enim aquositate sua spiritus acrimoniam nonnihil obtundit, ac subtilitatem eius suo quodam pondere deprimit, ita ut agilitatis perfectio in phlegmate multô sit remissior, at verò etiam scrupulosis (tametsi nullus hic sit metus, nec vllius emergentis mali inexpectati formido) securior visa.

Alioquîn verò additione quorundam appropriatorum

& ſpecificorum remediorum, in Chyloſtagma Antepile-
pticum ſic redigitur.

Chyloſtagma Antepilepticũ ex adiectione phlegmatis vitrioli.

℞. *Foliorum Rutæ manipulos duos.*
Verbaſculi odorati ſeu herbæ Paralyſeos, quæ eſt primula veri.
Roriſmarini.
Betonicæ.
Saluiæ. ana. manipulum unum ſemis.
Radicum Paoniæ decreſcente Lunâ euulſarum, Vncias tres.
Seminis eiusdem, Vnciam unam ſemis.
Viſci quercini. Vncias duas.
Aquar: Hirundinum.
Ceraſorum nigrorum.
Liliorum conuallium.
Florum Sambuci.
Tiliæ. an. Vncias decem.

Phlegmatis Vitrioli per remedia Antepileptica in frugnatio.

Phlegmatis vitrioli libram unam.
Stent in infuſione horis viginti quatuor poſtea lento igne deſtillentur in Balneo rorido, liquor extillatus ſeruetur uſui.

Doſis medicaminu iam dicti.

Dantur eius liquoris, duo, tria Cochlearia, ieiuno, vel etiam veſperi cubitum ituro, cui admiſceri poteſt Rotula vna atque altera manus Chriſti cum Perlis, aut de Extracto Ligni Aloës parata, vel inditur ei Puluis Marchionis in Diſpenſatorio Auguſtano deſcriptus, qui ſimul ſorbendus datur. Si medicamentum hoc potentius reddere volueris,

Fortificatio priorum medicamentorum.

adde radices Doronici, & infunde cum prioribus iam ſupra commemoratis, Dictamnum album, Stæchadem, Origanum, Scyllam, Caſtoreum, Hyſſopum, Thymum Calamintham, Iuam Artheticam, Cubebas, Cardamomum, & his ſimilia.

Ventriculi morbi.

In Diſpeſia & Bradipepſia ventriculi vino remixtum vtiliter exhibetur. In obſtructionibus renum & veſicæ ac vrinæ ſuppreſſione, cum aqua Saxifragiæ Ononidis & Linariæ, ac in Hydrope cum aqua Lumbricorum terreſtrium &

um & modico Syrupo de Cinamomo ſalubritèr porrigitur. Datur quoque in affectibus vterinis cum aqua Panacis Heraclei, Artemiſiæ, aut Meliſſæ, vel pro re nata cum Balſamo Embryonûm.

Iecoris renum & uteri affectibus phlegma vitrioli utile.

Vnum hoc in finem huius capitis monitorium ſubiunxerim, Phlegma hoc vitrioli ſecunda vice deſtillatum, abſtracto primo liquore, ſeu quarta eius parte, multô reddi potentius, etenim quod in cucurbita remanet, magis fit acidum, in omni enim aceto debilior pars primô per alembicum tranſit, ac potentior in fundo ſubſiſtit, at in ſpiritu vini contrarium fit, nobilior enim ſpiritus, prima extillatione procedit & egreditur, fatua, vt ſegnior nec volatilitate tantâ, aut ſubtilitate tam eximiâ prædita in cucurbitæ fundo relinquitur lacunæ ſimilis. Sed hæc inter artis opera ſic ſeſe habere deprehenduntur, & manuali Spagyrico experimento ac exercitio patent.

Monitorium.

In Aceti deſtillatione debilior pars primô egreditur, in ſpiritus vini extillatione, è contra potentior procedit.

Itaque Phlegma vitrioli præter alias quamplurimas vtilitates quas in ſe continet, præcipuè vim habet mundificandi, aperiendi, obſtructa reſerandi ac viſcera purificandi & ab infractu liberandi. Humidum præterea radicale conſeruat firmatque, partes nutritioni dicatas omnes ac ſingulas fulcit, ſanguinis aduſtionibus, iecorisque ſupercalefactionibus medetur, phlogoſes reprimit, cerebri meatus aperit, putredines internas arcet, ſudores mouet præſertim ſi cum aqua Cardui Benedicti aut Pimpinellæ porrigatur, peſtiferarum febrium malignitatem peſſundat ac in ipſa Peſte ſudaturo cum aquâ Stapedianâ porrectum veneni vires frangit, eaque tam in Chymia quam in Medicina opificia præſtat, pro quorum theſauro domino Deo noſtro Iesv Chriſto ſit immortalis honor, gratiarum actio, & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Recapitulatio.

CAPVT QVINTVM.

De Spiritu Vitrioli seu essentia Calcanthi spirituosa.

Spiritus Vitrioli inter phlegma & oleum mediam sedē obtinet.

VItrioli seu Calcanthi volatilitas in spiritu eius consistit, is autem intetmedius est inter phlegma & oleum, phlegma namque plus aquositatis continet, oleum vero ex salsugine plus terrestritatis habet, quorum amborum intermedium quasi vinculum vtrisque participans, est spiritus, sicut in homine spiritus vitalis animæ & corporis est quidam nexus ac adhæsio, corporalia & spiritualia colligans. Prodit vero spiritus vitrioli recto sanè ordine vbi phlegma prolectum fuerit, ponderosioris substantiæ, nempè olei (quod iam metallicam naturam sapit) prodromus, non iam vt phlegma leuiore ignis gradu euocatus, sed potentiore nisu ex terra phlegmatis demortua, vi pulsus.

Spiritus Vitrioli phlegma extillatum subsequitur.

Varij Spiritus Vitrioli parandi modi.

Eius parandi varij sunt modi, variæq; normæ: simplicissima porrô hæc est, vt abstracto phlegmate primo, ignis gradus intantum augeantur, vt spiritus striatim alembicum transire, ac à canna capitelli in excipulū euomi nolentur, ij autem non facile subsidunt, sed amplum vas recipiens, instar nebulæ oberrant, quod si non arctè stillatorio iunctum ac luto philosophico clausum fuerit, exitum sibi promptè parant, & euanidi in auras eluso artifice abeunt.

Euchirisis der Handgriff.

Euchirisis seu dexteritas parandi multa secum in opere operantis artifici monstrare solet. (Germani **den Handgriff** vocant) atqui vt de ijs pauca monendo proceramus. Notet quisque Spagyricus, qui voluerit vt spiritus vitrioli in liquidum densati roris modo promptè subsideant, esse in excipulum primi liquoris vitriolati seu phlegmatis partem

tem

tem aliquam pro allectamento spirituũ infundendam, sic enim facilius spiritus coagulãtur, ac prout in Macrocosmo contingit, ad eas aquas ex quibus rarefactis vel attenuatis primam suam duxerunt originem remeant, & in ijs subsident. Si phlegma vitrioli defuerit, aqua sumatur pluuialis, aut fontana quæuis destillata, in quam spiritus vitrioli impellantur, Teutonici, Hermeticas operationes exercentes, artis quodam termino dicere solent. **man muß jhm sein** phlegma **oder ein anderen** humorem **fürschlagen / darein die** spiritus **getriben / vnnd zum niderschlag geraitzt werden.** Non licet ita dextrè Germanica opificia vocabulis Latinis eloqui, proinde lector tantisper nobis ignoscat, dum Latini Hermeticam medicinam exerceanr, ac propria vel apposita artis vocabulis excogitent.

Dexteritas operationis.

Id autem notabis Spagyrice, esse postea spiritus à phlegmate prodromo, singulari dexteritate rursus seperandos, id autem bina per balneum vel cineres instituta prouocatione perficitur, sic liquor excrementosus, à volatili spiritus subtilitate seperatur.

Spiritus à phlegmate separandi.

Secundò si audax fuerit Hermeticus, & vitris non pepercerit, petias aquâ frigidâ imbutas, excipulo recipienti superponat, eâ tamen dexteritate, vt eas non nimis frigidas applicet, alioquin vitrum seu vesica recipiens confestim rumpitur, suæ sit quisque fortunæ faber. **Der Marckt lernt kromen.**

Alius Spirituum densandorum modus.

Atqui vero vt ad Spiritus vitrioli præparationem propius accedamus, sciendum est varios extare modos Spiritum vitrioli iam dictum, non modo simpliciter eliciendi, sed etiam ad varia ac diuersa morborum genera ac species adaptandi. Simplicissimus hic est.

Varij Spiritus Vitrioli præparandi modi.

Accipe vitrioli Hungarici aut Romani optimi, vel Selesiaci ex Zukmantelio vel Istria deportati, quantum vo-

lueris, hoc in vesica collocatum superposito alembico in roris vdorem primûm, postea & sudorem vrge, aufer postea receptaculum, & capax aliud recipulum rostro accommoda, probè clausum, ne quid subtilitatis expiret, sed tota medicaminis facultas coacta absque dispersione remaneat collecta, & integra, tunc vigorem ignis adauge vsque dum spiritus vnâ cum acido suo liquore progrediantur, qui sese mox eidem humori sunt sociaturi. Hic itaque vitrioli spiritus, pleniore rectificatione, reductione, digestione, exaltatione, purificationeq; maiori ab humorosa substantia tanquam excrementitia plus magis separatus, sequestratusq;, in multos vsus abit præcipuè vero, cerebri morbos ac capitis affectiones adoritur, quos radicitus euellit, ac fundamenta eorum scrutatur, vtpotè tenuis substantiæ ac perfectarum virium, quibus & Medicus & æger fidere audeat, Deo gratiam dante qui est trinus & vnus benedictus in sempiternum, ex cuius gratia hæc profluxêre, quæ (si plus auscultaueris) in & ex sublequentibus magis intelliges.

Spiritus Vitrioli præparatio.

Itaque in disquisitione Calcanthi seu vitrioli vlterius procedendo, innumeras ferè vitrioli ac vitriolati spiritus præparationes, à diuersis diuersîm exhibitas comperiemus, quarum duas vel tres probatiores subiungimus. Etenim nonnulli vitrioli crudi (purificati tamen) libras assumunt duas, ex his tantum quantum possunt liquoris destillatione proliciunt, aucto per gradus calore, ac tandem fortissimum ignem subdunt, ac spiritus vt vnâ cum oleo egrediantur seuerè pellunt. Liquori egresso, duas iungunt partes aquæ pluuialis distillatæ (in cuius locum Ros Maialis commodè veruntamen & is distillatus substitui potest) commixtum cum aqua spiritum, balnei calore rursus euocant, cuius subtilissima portio, omnium primô alembicum trans-

Multæ Spiritus Vitrioli præparandi norma.

Vna Calcanthini Spiritus aliter parandi ratio.

transcendit, residuus humor, oleo similis maximoque acore præditus, in fundo cucurbitæ relinquitur, suis quoque vsibus commodabilis, licet spiritus ipse, præcipuas vires in febribus ardentibus & malignis exerat, præsertim vero in lue Hungarica, in qua plurimûm operatur, cuius impetus ac insolentiam frangit ac compescit, ac liberali dosi cæteris liquoribus conuenientibus remixtus vsurpari potest.

Spiritus Vitrioli febrē Hungarica pellit.

Adhuc autem alitèr vitrioli spiritus parari consueuit. Sumito vitrioli eximiè purificati, quantum volueris, huic in cucurbitam affunde spiritus vini rectificati tantum quantum sufficerit, ita vt in mollem pastam seu pultem mediocritèr densam redigatur, tum verô cucurbitâ probè clausâ destillatio instituatur, prima quidem vice lenis, vt spiritus solûm vini. qui facili caloris impulsu præcedere solet, egrediatur, tum augeatur ignis, vt expellatur phlegma, tandem gradus ignis ad summum intendatur. Liquor omnis qui in vas excipiens transfluxit, distillando in diuersas partes separetur: ita vt prima vice euocetur vini spiritus inde in cineribus validiore calore, abstrahatur phlegma, donec guttæ per alembici rostrum stillantes, aciditatem sapere incipiant, tum vero appositio nouo excipulo pellantur quoque vrgentiore cinerum æstu spiritus, quos Paracelsus spiritui vini & phlegmati iam dicto rursus coniunxit, ac capiti mortuo quod ex prima distillatione remanserat rursus reddidit, destillationem repetens ac cohobationem hanc aliquot vicibus reiterans.

Alter Spiritus Vitrioli parandi modus.

Huic spiritui, dupla vel tripla spiritus Tartari quantitas iungitur, ac additis aquæ Theriacalis Camphoratæ partibus quatuor simul confunduntur, digeruntque mense vno, vt scrupuli vnius, aut drachmæ dimidiæ plus minus pondere pro ægrorum conditione in Epilepsia exhiberi queãt, validissimo planè ac efficaci remedio, vniuersalibus

Spiritus Vitrioli Paracelsica præparatio.

tamen

tamen remedijs, corpus ad eius assumptionem disponentibus, ex artis Medicæ præscripto secundum debitas indicationes præmissis.

Spiritus Vitrioli Diaphoretici.

Diaphoreticus is quoque est, & summè penetratiuus, vndè venenum omne in febribus pestiferis ac punctic ulatoribus, à corde protinus disijcit, ac à centro ad circumferentiam, ac partes exteriores, per sudores expellit, obstructiones leuat & suppressa mouet menstrua.

Theophrastus Paracelsus iam modo nominatus, Tom. 3. Antepilepticum remedium seu spiritum vitrioli Comitialem sic componit.

Spiritus Vitrioli Antepileptici.

℞. *Vitrioli mundi, & selecti libras quindecim.*
Liquoris paeoniæ. NB. legendum hic forsan libram semis.
Camphoræ.
Rasuræ Eboris.
Spodij. ana; vnciam semis,
Destilla per retortam in Colcothar.

Deinde.

℞. *Liquoris huius libras tres.*
Alcohol vini correcti.
Aquarum Melissæ.
Valerianæ. ana. libram semis.
Colcotharis libram vnam.
Reduc denuò per retortam.

Postea.

℞. *Liquoris huius libram unam,*
Colcotharis recentis libras duas.
Destilla denuô per retortam, totam diem ac noctem, & exibit phlegma liquor & oleum.

Abhinc in Balneo separetur phlegma, & per cineres liquor seu Mercurialis spiritus, per arenam vero fortiori igne oleum extrahatur.

Phlegmatis dosis infantibus certa præscribi nequit, cum diuersæ sint ætatis, antè paroxismum, liquoris in adultis scrupulus vnus, ijs qui quadragesimum annum superarunt,

dantur

dantur olei grana aut guttæ tres, cum aqua conueniente, prout & phlegma iam dictum puerulis (qui phlegmate hoc gaudere possunt, vtpotè quod sit leuius) admixtâ aquâ florum Tiliæ, Pæoniæ, Ceratorum nigrorum, aut consimili aliâ appropriatâ exhiberi potest. Verum hac in reperiti cuius que medici requiritur industria, ac acri iudicio non alitèr quam basi quadam fulcita agendi dexteritas.

Sed & varij quoque extant modi spiritum vitrioli varimodè imprægnandi, ac pro diuersis affectibus comparandi, ita vt is modo huic, modo alteri morbo fiat analogus, accommodatus & affinis. Qui itaq; plures eiusmodi remediorum apparatus nosse desiderat, videat Osvvaldi Crolli Basilicam, ac Iosephi Quercetani Tetradem adeat, ibi enim Elixir vitrioli, Tincturam eiusdem ac spiritus Calcanthini cum suo virore extractionem, dulcorationemq; descriptam reperiet, maioraq; adhuc & plura in Antidotario eius Spagyrico, ac alijs solennibus medicis qui lucubrationes suas de vitriolo, non sinè prægresso multorum laborum chymicorum onere in lucem sparserunt.

Inprægnatio Spiritus vitrioli.

Elixir, Tinctura ac spiritus vitrioli viridis.

Adhuc autem Paracelsus spiritui vitrioli perfectissimo Auri folia adijcere fuit solitus, quæ in eodem soluebantur, ex quibus spiritum suum vitriolatum aurificatum conficiebat. Vide Tom: 4. Potest is addita Corallorum essentia, vel Margarittarum & vnionûm liquore, aut gemmarum aliarum resolutionibus fortificari, imo etiam admixtione proprij phlegmatis, aut olei Tartari coniunctione, spiritus quoque vini additione, ac solâ quandoque circulatione, digestioneque dulcorari.

Spiritus Paracelsi vitriolatus aurificatus.

Spiritus vitrioli quibus medijs dulcoretur.

Pharmacopæi nostri Augustani, qui olim ad resoluendas Margarittas & Corallos aceto radicato seu fortificato fortè vtebantur, nunc spiritus vitrioli adhibitione opificum hocce absoluunt, sunt enim hæ vnionum & Corallo-

Pharmacopæi Spiritus vitrioli ope gemmas & Margarittas resoluunt.

rum ſolutiones plerisq; noſtris pragmaticis vſu crebro familiares ac conſuetæ, vnde crebrius ob multum vſum in officinis noſtris parari conſueuerunt.

Atque hi ſunt ſpiritus illi tam benigni qui cæli ſeu cerebri microcoſmici regionem peruadunt aëra purgantes, non quidem madentes Zephyri, nec vero algentes Boreæ non Cori, vel Cauri nebuloſi ac frigidi, de quibus Virgilius 3. Georgic.

Semper hyems, ſemper ſpirantes frigore Cauri.

Caurus Genium flans ab occaſu ſolſtitiali.

non Auſtri auditũ hebetantes, caliginem oculis inducẽtes, ac in ſyluis ſeu anfractibus cerebri ĩmurmurantes, Virg: 4. Georgic: *Frigidus ut quondam ſyluis immurmurat Auſter.*

ſed blandæ illæ Eteſiæ, quibus fretus quondam noſter Hippocrates, ad curationem grauiſſimorum morborũ animoſior acceſſit. Horum ſubtilitas animaliſ facultatis inſtrumẽta protinus pererrat obſtructiones eorundem reſerans, in quibus Epilepſiæ, Vertigines, ſeu Scotomiæ, Paralyſes, Lethargi ac Apoplexię contingere ſolent, idẽoq; lethaliũ eiusmodi morborũ pericula præuertunt, imo etiam accedente commodâ victus ratione ac ipſius ægri obſequentiâ in totum tollunr, niſi morbus extremum iam habitum contraxerit, tunc nihilominus paroxyſmos eorum tam difficiles, in rariores inſultus differunt, atque earundem exacerbationes mitigant & breuiores reddunt, in ijs præſertim qui iam iam ſperare neſciunt, vtrum in imbribus ac caloribus per æſtatem victuri, vel per pruinas autumnum tranſituri, aut gelidæ hyemis moleſtas tempeſtates ſint ſuperaturi.

Vtilitatem ſpiritus vitrioli.

Ac licet ſpiritus hi ſubtiles ſint & euanidi, non euaneſcunt tamen niſi prius auxilium tulerint, ac quod oleum Calcanthi, ponderoſius planè ac magis metallicum, in inferioribus partibus, lecore nimirum, Liene Hypochondrijs, Renibus, Meſenterio Abdomine & Ventriculo præ-

Oleum ac ſpiritus vitrioli in diuerſas corporis partes emigrant.

ſtat,

ſtat,idipſum hi ſpiritus in cerebro ac partibus animalibus operantur ac perficiunt, oleo partibus naturalibus plus magis deſeruiente.

Quoties quæſo rete illud admitabile ab obſtructionibus liberatum & horum ſpirituum vſu reſeratum fuit? quoties os Ethmoideum ac colatorium, os cribriforme, pituitâ tenaci occupatum oppilatumq; hoc ſpiritu recluſum extitit? quoties turbines illi per cæleſtem cerebri aream inſolenti quandoque impetu vagantes diſiecti? quoties Ecclypſes ac tenebræ motionis ſenſusque organa grandi quadam caligine obducentes diſſipatæ, ac nouo quodam lumine illuſtratæ fuerunt?

Nolumus nos Galenici, priſcorum Medicorum dogmata conuellere, ſed eorum ſolummodo ſcita in quantum poſſumus, additis ijs donis quæ Diuina nobis clementia ſubiunxit perficere. Adeſt ac proſtat Maiorana, Libanotis, Euphragia, Betonica, Spica, Stoechas Saluia, flos Cheyrinus, Pæonia, & plura alia caput eximiè roborantia, attamen non ſpretis, imò prædicatis potius eorum virtutibus, ſpiritus vitrioli his longè videntur ſuperiores, qui his cæphalicis medicamentis iuncti, torpidas eorum & quaſi languentes vires ſuſcitant, & vt penetratiui in felicioremeffectum deducunt, tota enim vitrioli efficacia in hoc conſiſtit, vt præter proprias dotes, omnium medicamentorum vires intendat, ac in perfectiorem quendam gradum exaltet.

Medicamentorum Vegetabilium quæ Galenici ſibi adſcribunt. Vis, Vitrioli Virtute intenditur.

Cum autem vix quidquam ſpiritus vitrioli naturam, factâ comparatione magis accommodatè explicare videatur, quam Memnonis hiſtoria, libuit hoc loci in beneuoli, lectoris gratiam & rei ipſius maiorem intelligentiam, hiſtoriam eam enarrare ac in Calcanthi aſſimilationem reducere.

Comparatio Vitrioli cum Memnone.

Fuit autem Memnon Auroræ filius ac Rex Æthiopum prout Hesiodus in Theogonia testatur hoc carmine.

Vide Apollodorum lib. 3.

Aſt Aurora parit Tithono Memnona fortem
Aethiopum Regem:

quem forsitan Virgilius hanc ob causam nigrum appellauit 1. Æneid. *-Eoasque acies & nigri Memnonis arma.*

hic ex Æthiopia ad Troiam expugnandam profectus, ac Priamo opẽ laturus, commisso cum Achille certamine fortiter occubuit, quo in loco in quo percussus fuit, fontẽ prorupisse dixerunt, qui quotannis tempore sui obitus sanguineam aquam fuderit, prout ex versibus Calabri colligitur.

Fons Cruentus.

Sanguine qui tinctus sitientes alluit agros,
Memnonis ut lux est tristis, qua concidit ille.

Scriptum reliquit Pausanias in Laconicis, Memnonis hastam circa cuspidem & imas quidem partes, ensem vero eius totum æreum extitisse, ac in templo Æsculapij fuisse depositum. Veruntamen priscos æreis ensibus vsos innuit Virg: 7. Æneid: cum ait.

Ensis & hasta Memnonis.

AEratæque micant peltæ micat æreus ensis.

Et Pont:

Elatis humeris pendebat aheneus ensis.

Finxerunt porro Auroram Memnonis matrem à Ioue impetrasse, vt cum cadauer eius rogo imponeretur, Memnon verteretur in auem, quam fabulam Ouid: lib: 13. Metamorph: sic descripsit.

Memnonis orba mei venio, qui fortia frustra
Pro patruo tulit arma suo, primisque sub armis
Occidit à forti (sic dij voluistis) Achille:
Da precor huic aliquem solatia mortis honorem,
Summe Deûm rector, maternaque vulnera leni.
Iupiter annuerat, cum Memnonis arduus alto
Corruit igne rogus: nigrique volumina fumi
Infecêre diem: veluti cum flumina natas
Exhalant nebulas, nec Sol admittitur infra.

Memnonis historia ab Ouid: 13. Metamorph: descripta.

Atra

Atra fauilla volat, glomerataque corpus in unum
Denſatur, faciemque capit, fumique colorem,
Atque animum ex igni, leuitas ſua præbuit alas.

Interim quoque complures aues quas ob id Memnonias dixerunt ex eadem pyra euolaſſe veteres ſunt commenti. *Aues Memnonia.*

Ait Zezes Chil: 6. Hiſt: 64. Memnonem Cippum ab Ægyptijs vocatum fuiſſe & columnam habuiſſe rubri ac varij lapidis quæ Solis radijs tacta ſonum emiſerit. *Columna Memnonis ſonum edens.*

Nunc attendat beneuolus lector quam appoſitè Memnonis hæc hiſtoria in vitriolum eiusq; ſpiritum quadret, & licet figmenta hæc ac nugas fuiſſe Poëtarum dicere quis poſſit, ſcimus tamen veteres, omnes ſuas doctrinas vel ſaltẽ plerasque fabulamentis obuoluiſſe, licet hæc quæ de Memnone traduntur ipſemet de vitriolo ſcripta fuiſſe non credam, quia tamen pleræque res exemplo clariores reddantur, ac lucidiorem facilioremq; doctrinam ſuſcipiunt ideo corollarij loco in huius capitis finem hæc inſerenda oportunum fore iudicaui, vt quæ non minus iucunda quam vtilia eſſent futura. *Similitudinis applicatio.*

Itaque *Memnon ille niger Rex Aethiopum*, vitriolum deſignat, cui ſuper Æthiopes, id eſt tetras ac atras fuligines, mentem perſæpè hominum perturbantes ac peruertentes ſumma poteſtas eſt, regit enim ac domat vitrioli ſpiritus eiusque oleum impetus eos, qui ab atra bile ſuſcitantur, vndè hypochondriacos affectus, ac Melancholicos morbos perſanat, aduſtos humores, eosque præaſſatos vbi ritè in vſum ducitur corrigit, hinc ad Pſoram, Lepram, Elephantiaſin & cutis fæditates, ex ſanguinis corruptione, putredine, aut aduſtione contractas emendat. Medetur autem vtplurimum inter cætera, Arquato ſeu Ictero nigro corpus tantoperè turpanti, & colorem ei nigrum aut liuidum inducenti qui affectus nobis Germanis die ſchwartze gelb- *Vitriolum eſt Rex Aethiopũ & qualitèr id intelligendũ.*

Schwartze gelbſucht. gelbſucht communitèr dici conſueuit, atque ſic vitriolum vitibus ac facultatibus ſuis melancholicos ſuccos temperat ac regit ac atrabiliarijs morbis imperat, ſicque Memnon eſt.

Hic Spiritus vitrioli *Auroræ eſt filius*, prout enim Aurorâ Solis ortum præcedit lucis iucunditatem moxadüenturam prænuncians ac quæcunq; in mundo vigent recreans.

Orpheus in Hymno in Auroram.

Qua gaudet mortale genus, vitare nec ullus
Conſpectum vult diua tuum, cum fluctibus exis,
Excutis & ſomnum cilijs, lætantur ubique
Serpentûm hominûmque genus volucresque feræque
Quæque colunt altas ſpumoſi murmuris undas.

Spiritus Vitrioli Aurora eſt filius.

Sic ſpiritus vitrioli luce ſua ſenſus omnes lætificat, ac vigorat, ſanitatis prodromus, qui futuram illico valetudinem eamque proſperam, plurimis per ægritudinum diuturnas noctes tantoperè expectatam & exoptatam, non modo pollicetur, verum etiam lucidam ac nitentem præſtat.

Profectus eſt autem *Memnon ad Troiam*, ad debellandos hoſtes, ſic vitriolum aduerſus grauiſſimos humani generis inimicos id eſt validiſſimos fortiſſimos & contumaciſſimos morbos expugnandos & depellendos armatum ſeſe exhibet.

Et licet *Memnon contra Achillem dimicans* occubuerit, fortitèr tamen is vitam finiuit, ac gloriosè vt vir magnanimus ex hac luce deceſſit. Per Achillem, Hermeticum artifi-

Per Achillem Spagyricum ſeu Hermeticum artifex intelligitur.

cem intelligo, coram quo Calcanthum (vtpote vi ignis ac atte Spagyrica ſuperatum) mori neceſſe eſt, cuius lethum fons ille cruentus ad locum obitus ſui ſtillans ac ſcaturiens (nempe. Calcanthi oleum) ſubſequitur, quod prima vice ac antequam rectificetur rubicundum planè eſt ac colore rufo prædituм, ita vt vitrioſum licet coram opifice Spagyrico ac chymico Achille ſuccumbat, mortis tamen famam ac necis ſuæ inſignem honorem, per præſtita quæ

Fons cruentus eſt rubicundũ Calcanthi oleum.

ex eo

ex eo parantur remedia poſt ſe relinquit.

Quid nunc de *haſta eius quæ æreâ cuſpide prædita fuerat, quid de gladio ſeu enſe eius æreo dicemus?* nonne æs cuprum eſt? Cuprum vero vitrioli ſeu Calcanthi ſoboles eſt, prout ſupra tradidimus, imô etiam Cuprum ipſum in vitriolum tranſit, prout capite ſecundo vbi de Cupricalcantho egimus fusè ſatis monſtrauimus.

Haſta ac enſis Memnonis vitriolum deſignat.

At dicent fortaſſe aliqui, æs veterum non fuiſſe cuprum, ſed mixturam quandam ſingularem, ſeu æs arte confectũ ac alteratum, ſeu in Aurichalcum mutatum, quod alijs orichalcum dici conſueuit, etenim Stat: 1. Theb: ait. *Obiectio.*

Emicat effigies & ſparſa Orichalca renitent.

Vtvt ſit ſiue orichalcum ſiue Aurichalcum dicatur Aurichalci tamen nomen *Aes aureum* indigitat, id autem nihil aliud eſt quam cuprum lapide Calaminari tinctum, omne enim Aurichalcum ex Cupro ſic conficitur. Sumuntur Cupri puri libræ centum, Lapidis calaminaris libræ triginta, liquata ſimul magno igne funduntur vt coëant, & fit Aurichalcum quod naturam cupri nihilominus retinet, nec à priſtina ſua conditione deſciſcit.

Aurichalcum eſt Cuprum tinctum.

Aurichalcum quomodo fiat.

Hæc eſt haſta illa vitriolata, quâ hoſtiles morborum acies diſſipantur, hic ille gladius æreus Calcanthinus, integros tam diuerſarum ac grauium periculoſiſſimarumque ægritudinum exercitus profligans & in fugam abigens, hic eſt ille enſis anceps, quo ſi quis exercitatus ac induſtrius vti ritè potuerit valueritque, hydrarum capita amputabit, ſeu morbos expellet virulentos, Leones domabit, ſeu cordis affectus propulſabit, vincet Apros, ſeu truculenta illa ſymptomata, quæ vt Apri prata ac agros, ſic hæc, viſcera interna vaſtare ſolent, imo plura præſtabit facinora heroë digna, quam ipſemet Hercules, de quo forſan comparationem ad oleum vitrioli facturi, proprio capite ac ſuo loco dicemus.

Fuit

Fuit autem gladius iſte Memnonis in templo Æſculapij magni illius Medici qui pro Deo habebatur, ſuſpenſus, arma enim ac ſpolia huius Memnonis ſeu vitrioli, non niſi medicinæ debentur, quæ pugili deſudatione ijs vti nouit.

Vitrioli ſpiritus eſt auis Memnonia.

At vero *Memnon rogo impoſitus in auem conuerſus fuit,* ſanè vitriolum ita ſeſe habet, etenim vt primum calcanthum rogo id eſt furno vel foco chymico imponitur, confeſtim in auem tranſit fitq; ſpiritus volatilis, de quo toto hoc capite egimus, cuius volatum multæ aliæ volucres ex eadem pyrâ prouolantes, id eſt cæteri Calcanthi ſpiritus & ſubleuantur & comitantur.

Columna hæc ſtatua Memnonis, in Aegyptijs Thebis in templo Serapidis erecta erat. Vide Lucianũ in Philopſeudo.

Tandem quoque *Columna Memnonis Solis radijs tacta perſonans* quam Zezes loco ſupra citato ex rubro lapide exciſam fuiſſe innuit, quid aliud eſt quam Colcothar illud rubrum, ſeu vitriolum in lapidem ignis vi duratum quod columnam eam repræſentat? etenim Solis radijs tactum Colcothar, id eſt Spagyrici ignis radijs perculſum, varios ſonos edit, quos qui audire voluerit, operationi eæ adſit, quæ in parando oleo vitrioli metallico requiritur, quando gutta vna olei per roſtrum retortæ cucurbitæ in recipientem decidens, haud aliter quandoque tinnit ac clangit, ac ſi argenteus nummus in excipuli amplitudinem deciderit, ſed tunc temporis vaſis recipientis magna eſt habenda obſeruatio, id enim magno tunc in periculo verſatur, & facillime vel ſpirituum oleum concomitantium impetu diſtumpitur, vel olei vi & candenti ponderoſitate finditur.

Oleum vitrioli metallicum graue eſt & ponderoſum.

Verum hæc de ſpiritu vitrioli dicta ſufficiant, quæ multi non capiunt, complures non intelligunt, plurimi qui doceri recuſant, & ad documenta talia capeſſenda ob propriam vel ſuperbiam vel obſtinationem non ſunt idonei, neglecta peſſundant & ſuis obſtrepationibus quibus Leoni vngues, & Herculi clauam, ineptè ſanè ſed ſuaptè plerumque

Inepta quorundam obſtinatio.

rumque perſuaſu fruſtra nituntur ſubtrahere. Horum frigida ingenia, ſuâ in impudentiâ, ſtoliditateque tanquam in deſerto derelinquenda, donec ad furnos Hermeticos aliquantulum calefiant, ac cruditatibus excoctis nonnihil reſipiſcant.

CAPVT SEXTVM.

De Colcothare ſeu Vitriolo rubificato.

POſt abſolutam phlegmatis ac Spiritus vitrioli ſeu Calcanthini tractationem, de Colcothare nobis nunc agendum, id enim eſt caput vitrioli mortuum, quod abſtractâ humiditate, & excuſſis ſpiritibus in fundo vaſis ſeu cucurbitæ reſtibile remanſit. Alioquin vritur vitriolum in olla noua ſupra prunas ad latus (vt cô commodiûs agitari queat) reclinatâ, vſque dum humiditas omnis ſit abſumpta & vitriolum ipſum vndequaque rubicundum euaſerit. Hoc enim Cauſticum eſt ac adurens, poſtquam & ipſum vſtum fuerit, atqui hoc eſt quod ſupra quoque monuimus, cum de ſententiarum ambiguitate circa qualitates vitrioli ageremus, veteres nimirum vitriolo vix vnquã crudo vſos fuiſſe, ſed vſto vtplurimum, ac poſt vſtionem quandoq; eloto, proindè Dioſcor: lib: 5. cap. 74. de Atramento Sutorio (quod vitriolum eſt) verba faciens, poſteaquam facultates eius explicaſſet, capiti finem imponens id ſic concludit. *Vritur ut paulô poſt in mentione Chalcitidis oſtendemus.* Colcotharis vſus ad externa corporis vitia pertinet, vnde ad emplaſtra & vnguenta quæ fædis ulceribus repurgandis adhibentur expetitur. Eſcharoticum præterea eſt ac cruſtas inducens vndè ſanguinem ſiſtit. Huic affinis omninô eſt Chalcitis, quæ licet vt Colcothar externis vtplurimum malis medeatur, ac ad vlcera conſolidan-

Colcothar eſt caput vitrioli mortuum.

Colcothar Cauſticum eſt.

Colcotharis vires.

Colcothar extrinſecus potiſſimum vſurpatur.

da vſurpetur, intra corpus tamen aſſumitur in Theriacâ Andromachi quam non ratione coloris vt quidam arbitrantur, ſed inſignium ſuarum virium ratione ingreditur; qua de re diuerſæ ſunt auctorum opiniones ac ſententiæ, quidam enim eam reijciunt, vt Cordus, Fernêlius, Pontanus, Diſſenius, Plantius & Saguyerius, alij vero vt Fuchſius, Marantha, Coudenbergius, Geſnerus, & Colonienſes, eam ob inſignem deſiccandi & aſtringendi vim Theriacæ adiectam eſſe opinantur: Franciſcus porro Tidicæus eam nec coloris, nec deſiccandi ratione additam eſſe arbitratur, cum Mithridatium ſine Chalcitide nigrum ſit, & alioquin multa validè ſiccantia Theriacæ inſint, ſed proptèr formam, quæ ex omnibus ingredientibus ſimul iunctis reſultat & producitur. Notandum quoque Chalcitidem quæ eadem ferè eſt cum vitriolo toſto ac mediocritèr cremato, vitriolatæ naturæ ratione venenis reſiſtere, quando Dioſcorides loco ſupra citato vitriolum contra hauſta fungorum venena valere ſcripſit, ideoq; cum Chalcitis eiusdem cum vitriolo naturæ ſit, etiam ipſa Chalcitis venenis aduerſabitur, ac proindè meritô ac iure optimo in Theriacam erit admittenda, in cuius ſtructurâ, in Chalcitidis defectu vitriolum crematum ſubſtitui poteſt. Marantha Calcanthum vetuſtum ſumit, pro antibalomeno, quia in hoc Chalcitis effloreſcit. Diſſenius & Ioſ: Quercet: in ſua Pharmacopæia Dogmat: Reſt: in compoſitione Theriaces, quosdam Calcanthum calcinatum (quod nil aliud eſt niſi Colcothar) aſſumere ait, præfert autem huic ſulphur vitrioli, aut Spiritum eiusdem acidum, multi vero ideo Colcothar ſumunt, quia in eo & Spiritus &, Sulphur conglutinata hærent. Matthiolus olei vitrioli vnciã dimidiam in Antidotum ſuam magnam adijcit, de quibus ſuum cuique ſit iudicium hæc ſolummodo incidentèr.

Chalcitis eiusque diſquiſitio.

Chalcitis venenis reſiſtit.

Chalcitis in Theriacam admittitur.

Porro

Porro ex Colcothare paratur medicamentum Antipodagricum hoc modo. Dissoluitur Colcothar in vrina hominis sani vt fiat instar pultis, deindè exiccatur, rursusq; vrinâ inspergitur, iterumq; siccatur, atque hoc tèr vel quatèr repetitur, tandem Colcothar hoc retortæ ad latus reclinatæ inditum, furno imponitur, ac institutâ distillatione acre phlegma elicitur, cuius portio aliqua oleo Verbascino, Sambucino, Populeo, aut oleo Ranarum vel ex floribus Calthæ paluſtris parato permisceri, & pro fluxionis Podagricæ conditione dolenti parti applicari & superponi poterit, videturq; mihi eius vsus tutior quam olei Salis, quod Chymici nonnulli, veruntamen Empirici, in mitigatione doloris Podagrici & resolutione vel exiccatione fluxionum Arthriticarum, quæ partes in quas procubuerunt in tumorem sustulerunt, adhibent. De quibus cæteri censeant.

Medicamentum Antipodagricum ex Colcothare.

Sequens porro Antipodagricum vitriolatum mihi magis placet, vtpotè tutius.

℞. *Vitrioli purificati libram unam.*
Mastiches.
Olibani.
Myrrhæ.
Ammoniaci.
Bdellij.
Opopanacis.
Mumiæ. ana uncias duas.
Tartari, vnciam unam semis.
Mellis libras duas.
Aquæ vitæ libras quatuor.

Distillentur per alembicum ac liquor extillatus seruetur ad vsum.

In ingruente Podagrâ, locus pennâ hoc liquore madefactâ, lenitèr illinatur, ægerque commodis remediorum præsidijs internè vsurpandis munitus quiescat.

Diphryges.

Colcothari porro ac Chalcitidi affinis planè est Diphryges, id enim perfecti æris quasi subsidens fæx est post frigidæ aquæ (prout Dioscor: lib: 5. cap: 89. ait) effusionem, habet enim iam dictum Diphryges easdem fere facultates quas vel Colcothar vel Chalcitis, perpurgat namque, siccat, excrescentia consumit, vlcera serpentia & quæ Cacoete vocant ad cicatricem perducit & suppurationes discutit, ac Ceratũ Diadictamnu seu sacrũ Galeni exornat.

Huc etiam pertinent, Æs vstum, Flos æris, eiusq; Squama, quin & Squama Stomomatis & Squama æris nigri quę est Helitis, hæc enim omnia vnâ in familiâ ijsdem ferè viribus dotata persistunt, veruntamen horum omnium vix est vllus intra corpus per medicinam vsus, licet veteres squamam æris ad aquas cutem subeuntes & hydropes ægris porrexisse legamus, omnia enim hæc venenatam naturam habent, vndè vulgus tenuem illam æris squamam quæ in cudendis cacabis ac lebetibus ex ære decutitur, lardo remixtam hinc inde per ædium angulos seponit, sicq; mures molesta rosione noxios ac quibuscunque esculentis periculoso morsu funestos enecat, vocatur autem squama'ea vulgari nomine Teutonico **Kupfferschlag.**

Veteres æris Squama in Hydrope usi sunt.

Aerugo.

Sed & hic locum habent Ærugo Scolecia seu fossilis, & rasilis altera, hæ enim quoque ex vitrioli ac cupri procedunt prosapia, at etiam venenata sunt & vomitum cient permolestum. Scio milites quosdam magnâ insolentiâ hospitis totam familiam sat petulantèr perturbasse, hic autem vt sese vlciscereturbibonibus illis spurcis cuncta diripientibus & tota die potationibus deditis, in magnum aheneum cantharum ceruisiâ repletum, Æruginem immersit, de qua bibentes, post paucas horas totum domicilium vomiturientes conspurcarunt, adeô languidi effecti, vt vix vitam retinuisse visi fuerint. Sic repressa fuit eorum temeritas.

Vides

Vides hic candide lector, quomodo per elementorum ſeparationem, ac partium quæ in concreto colligatæ hærebant, vnique ſubiecto compactæ inerant diuiſionem ſpagyricam, diuerſa emergant, vndè ſuprâ, cum Protei fabulam Calcantho explicando adhiberemus hunc verſum non ineptè protulimus.

Fit Leo, fit volucris fit longo corpore ſerpens.

Iam igitur vitriolum venenum eſt quamdiu Colcothar permanet, habet autem adhuc in ſe præclariſſima medicamenta licet phlegma & ſpiritus iam nunc abſceſſerint, ex Colcothare enim oleum vitrioli nobiliſſimum, quin & Sal, ac Terra eius dulcis elicienda, vndè pateſcet rem vnã & eandem pro diuersâ accommodatione vel præparatione, ac ſecundum diuerſas ſui partes modo hoc, modo aliud operari, quod in ſubſequentibus fuſius declarabimus.

Colcothar adhuc in ſe continet oleum Salſuginem. terram dulcẽ & plura alia medicamina.

Itaque veteres cum vitriolo quod ipſi vrebant ac in Colcothar redigebant, venenatam quandam qualitatem ineſſe cognouiſſent (vitriolum enim crudum adeô venenatum non eſt, ſed vſtione venenum efficitur etenim Dioſcorides vitriolum crudum aſſumptum pro necandis aſcaridibus probat, illudque commendat his, qui fungis venenatis paſti ſunt) eo vix vnquam præterquam in topicorum & externorum medicamentorum (præſertim quæ vlceribus debentur) applicatione vſi ſunt, vndè Emplaſtrum concinnarunt Diacalcanthon nuncupatum, quod nunc deprauato quidem nomine officinis pharmaceuticis Diachalciteos dici conſueuit ac Diapalmæ Galeni, cuius vſus eſt ad ambuſta, rupta, contuſa, vulnera cruenta, ac tumores peſtilentes, ſed & Iſis Squamam æris, Æruginem ac Æs vſtum recipit, quod quidem ceratum ex Galeno deſcriptum, vſurpatur ad fæda vlcera & fiſtuloſos ſinus, carnem putridam abſumit, ac fædam vlcerum antiquorum & quæ

Vitriolum vſtione in venenum transit.

Diachalciteos.

Iſis.

Vng: Apoſto-lorum.

mali moris ſunt, ſaniem exiccat & abſtergit. Interim vnguentum Apoſtolorum præcipuam ſuam vim ab Ærugi-nis admixtione habet, prout & plurima Emplaſtra alia ab antiquis deſcripta quæ ſquamam æris & ſimilia recipiunt, de quibus videndus Galenus lib: 2. de Compoſ: med: ſe-

Empl: Heræ.

cundum genera in Emplaſtro Giluo, & lib: 4. eiuſdem operis in Emplaſtro Heræ. Talia ſunt quoque Emplaſtrum ex Salicibus quod Miſij recipit & Empl: Tarentini Iceſij ac Panaceæ quæ Chalcitidem habent. Diacadmia & vng: ad Polypos, vnguentum Nicomedis apud Meſuen, ac innumera penè tam vnguenta quam Emplaſtra priſcorum Medicorum à vitriolatis, Colcotharinis, Ærugineis, Chal-

Medicamina ex Vitriolo eiuſque ſobole cupro profecta.

citicis ac Cuperoſis vim ſuam ſortiuntur, potentiſſimè namque hæc partes contrahunt ac ſtringunt, cicatrices ducunt, fæda vlcera repurgant, & ijs quæ ob nimiam humiditatem ægrè conſolidationem admittunt auxiliantur, quo nomine inter metallica primas ferè tenent, vtpotè quæ ſimul mundificent, ſimulq; conſolident. Et hæc de Colcothare eiusque complicibus dicta ſufficiant, nobis iam ad vlteriora progreſſum facturis Diuina clementia faueat.

CAPVT SEPTIMVM.

De Colcothare indulcato ſeu Terra vitrioli mortua.

Epulotica medicamenta ſunt quæ cicatricem obducunt.

ABſolutâ Colcotharis illius Cauſtici & adurentis tractatione ab Eſcharoticis ad Epulotica deuenimus, etenim Colcothar iam dictum quod modo venenũ fuerat, Dracoui mordicationem, exurendi vim flamiuomam ac ſepticam facultatem habenti aſſimilatum, nunc miteſcit, necandi vim deponit, ac nocendi modum omnem dediſcit prout

beneuo-

beneuole lector hoc capite cognoſces. Sanè admiranda non ſolum ſed & maximoperè prædicanda eſt Dei opt: max: bonitas & clementia, ac tam locuples elargitio, per quam non ſolûm medicamentorum materiam, imô & ipſamet medicamenta, humano generi tam copiosè præſtitit, ſed & ipſis mortalibus ingenium hoc dedit, vt ea quæ natura coniunxerat, & vnam in molem congeſta, vnius ſubſtantiæ ac formæ conditione circumſcripta compegerat, ab inuicem ſeparare, diuidere, ſegregare, in varias partes diſcindere findereq;, ac ſuis vſibus diuerſimodè applicare & adaptare poſſent, quando ex vno eodemque ſubiecto calida, frigida, humida, & ſicca, ſpagyricâ operatione proliciunt. Apparet hoc in vitriolo ex quo innumera ferè medicamenta diuerſarum formarum ac qualitatum eruuntur; adeo vt quis meritò dicere queat Calcanthum eſſe quandam quaſi omnium qualitatum & operationum congeriem, ex eo enim laxatiua, vomitoria, reſtrictiua, deobſtruentia, validiſſimè penetrantia, aperitiua, deoppilatiua, coarctantia, aſtringentia frigefacientia, exurentia ac vt ſummatim dicam omnis generis pharmaca depromuntur. ô Protee vitriolate. *Ars Spagyrica.*

Difficilis, facilis, iucundus, acerbus es idem.

Itaque vt ad Colcotharis indulcationem accedamus ea ſic planè facili labore perficitur, hoc modo.

Sumito Colcotharis perfecti quantum volueris, hoc in puluerem redige, cui in olla munda repoſito aquam affunde calentem, ſiue ea fontana aut putealis vel pluuia fuerit, ac baccillo Colcothar in fundo vaſis ſeu ollæ ſua pro grauitate reſidens exagitato, ita vt Colcothar aquæ probè miſceatur, tum vero Colcothar hoc rurſus reſidere permitte, quod vbi factum, primam hanc aquam Colcotharis ſalſuginem in ſe iam continentem abijce, vel à Colcothare *Colcotharis indulcandi modus.*

cothare ſepara,eamque in alium vſum quem ſequenti capite traditurus ſumus reſerua, aliamque aquam recentem, vtiam modo feciſti eidem Colcothari prius calefactam ſuperfundito rurſuſq; vt prius agitato,ac reſidere permittito,aquamq; ſeparato,hunc laborem quatèr aut quinquies vel toties iterato,quamdiu aquam quam Colcothari affudiſti ſalſedinem aliquam adhuc repræſentare guſtu cognoueris, debet enim toties ac taliter edulcorari, ita vt quilibet guſtaturus dicere queat cum Catullo Epigr: 81. de Quintia.

Nulla eſt in toto corpore mica ſalis.

Colcothar per Salis abſtractionem dulceſcit.

Nunc vero Colcothar hoc dulce,ſeu ſalis per aquæ multiplicem infuſionem extracti ademptione, ablationeque dulcificatum deſicca, & habebis Colcothar rubicundiſſimum,illudque dulce, id eſt non amplius mordicans, aut vrens,quodad commodos vſus reſerua.

Colcothar vulgare & ſerum exulcerat, indulcatum ſanat.

Iam igitur habes Colcothar perſanans ac cuti firmitudinem præſtans,quam heſternum contrariâ facultate læſerat, ſic calida frigidis, humentia ſiccis iuncta hærent, vt alitèr operentur in concreto,alirèr vero in abſtracto,proindè ars Spagyrica ſeu ſeparatrix, eſſentias rerum diuidit, eaque diuaricatione quidquid virium cuique ſubiecto imô cuique ſubiecti eiusdem particulæ ineſt euellit, vnde ars rimatrix nihil intentatum relinquens à Domino Deo vt opera eius admiranda per creaturas ſuas pateſcerent,ipſeque ſummus rerum omnium conditor gloriosè prout par, dignum & iuſtum eſt,per ſua donaria & ob tanta beneficia in humanum genus collata prædicaretur,mortalibus forſan conceſſa fuit, ne obuijs ac ſparſim quodammodo vel neglectim abiectis & in triuio locatis morborum auxilijs ars Medica ab ipſa diuinitate dependens ac defluens vileſceret ac poſthaberetur: Ideoque arti Hermeticæ hoc

Artis Hermetica operationes.

datum

Calcanthum quoque dulcificatum recipit emplastrum illud magnetinum doctissimi viri Angeli Salæ Vicentini Medici Spagyrici quod sic habet.

℞. *Gummi Sagapeni.*
Ammoniaci.
Galbani. ana. uncias tres.
Ceræ nouæ.
Terebinthæ larignæ. ana. uncias quatuor vel quinque.
Magnetis Arsenicalis. uncias tres.
Terræ vitrioli lotæ. unciam unam.
Olei Succini. uncias duas.

Emplastrum Magnetinum Angeli Sala.

Dissoluantur Gummata in aceto Scyllitico, posteaque lege artis ceræ ac Terebinthinæ liquatæ iungantur, indè vero addatur magnes Arsenicalis in puluerem redactus, & Colcothar dulcificatum, seu Terra vitrioli elota, ac in fine (ne expiret) oleum succini adijciatur, fiatque lege artis emplastrum, quod in magdaleones redactum, asseruetur in vesicâ, oleo Scorpionûm prius inunctâ.

Emplastrum hoc in bubonibus pestiferis maturandis ac persanandis magnæ est potentiæ, venenum enim vi suâ specificâ atttahit, & ne ad cor retrocedat prohibet, Scrophulas persanat, easque purificat, applicatum plagis putridis ac venenatis, curationem ægrè suscipientibus auxilio est. Attrahit, ab alto euocat, mundificat, & consolidat.

Vtilitas & usus huius Emplastri.

Magnes porro Arsenialis sic conficitur, sumuntur Antimonij crudi, Sulphuris flaui, & Arsenici, singulorum partes æquales, hæc omnia in puluerem redacta cucurbitæ vitreæ induntur, ac in furno arenam continente liquantur, vt bituminis instar diffluant, massa hæc frigefacta effracto vitro eximitur, fuscum vel subruffum colorem habens, quæ ponderosa est, & concussa vitri instar dissilit, hæc tempore Pestis de collo gestata Zenechton supplet ac eius loco vsurpari potest, quod quidem Zenochton ex Arsenico confectum plurimi magnoperè collo appensum celebrarunt. Ego Magnetem talem Arsenicalem habeo similem

Magnes Arsenicalis.

Magnes Arsenicalis Zenechton virtute supplet.

Magnes Arsenicalis similis Naphtæ.

Naphtæ quæ circa Babylonem nascitur, & ex qua ignis Græcanicus conficitur is vero diffractus aduersus solis radios aut ad lucem obscurè ruffescit, iam dictis dotibus insignitus.

Atque hæc sunt quæ de Colcothare indulcato seu Terrâ vitrioli mortuâ rubente, notatu digna proferre oportuit de cætero (vt tandem ad olei Calcanthini tractationem deueniamus) Salis prius ac Sulphuris vitriolati quin & vitrioli albi vomitiui conditionem explicaturi.

CAPVT OCTAVVM.

De Sale ac Sulphure Calcanthi nec non Vitriolo albo vomitorio.

Salis Vitrioli seu Colcotharina salsuginis condensatio.

SI ex vitriolo salsuginem densatam habere volueris, aquam eam (quam capite præcedenti in edulcoratione Colcotharis asseruari debere monuimus,) sumito, eamq; diligentèr prius colatam inspissato, vel euaporare sinito vt sal gelascat. Sumito deindè salis huius quantum volueris illudque in aqua pluuiali iterum dissolue, dissolutum cola per chartam emporeticam seu bibulam, ac rursus inspissa, habebis salem candidissimum Alkali de Colcothar vocatum, cuius dosis ad sex Comez extenditur, est autem Comez gutta semis vel granum dimidium. Ex hoc sale pastillos conficiunt seu Trochiscos talitèr præparatos.

℞ *Alcali de Colcothare seu Salis vitrioli. Scrupulum unum.*
Liquoris Centaureæ.
Calaminthæ.
Agarici albi & leuis. ana. scrupulum dimidium.
Olei Myrrhæ quantum sufficit ad impastandum, fiant Trochisci, quorum dosis est à granis quatuor ad septem.

Vermes

Vermes siue in ventriculo, inteſtinis aut vtero hæreant medicamentum hoc eijcere creditur, datur ex vino Maluatico, aut alio aliquo generoſo.

Vires huius medicamenti.

Ego vero vt verum fatear, Sale vitrioli intra corpus nunquam ſum vſus, deprehendi enim in meipſo quod pectori officiat, valentèr enim ſtringit ac coarctat, ac quaſi ſpecificâ quadam facultate pulmonibus aduerſari & nocivum eſſe mihi videtur, proindè ab eius vſu intra corpus lubentèr abſtineo, qua de re & alios monere volui.

Cautio.

Attamen in fædis vlceribus primas tenet. Epiſpaſticum enim eſt medicamentum, vndè ſinus ac fiſtulas, quin & Carcinomata repurgat, ac vlceribus malignis ac putridis quæ Cacoethe vocantur præſenti remedio eſt, quo cõmodiſſimè vti poſſumus in periculosâ eâ & vix ſanabili fiſtulâ, angulum oculi lachrymalem occupante. Sanè in vlceribus fædis mira præſtat ac perficit, etenim Gangrænam educit, & muccoſitates iam putrefactas potentèr euellit relicta poſt ſe non leui aſtrictione, quæ poſt mundificationem vlceris firmam carnem ſanationi opportunam ac neceſſariã relinquit. Germani dicunt **macht einen vöſten grund** vnde in antiquis vlceribus cæteras medicinas auxilio antecellit. Habes ex ſale hoc vnguentum Saturninum vitriolatum apud Angelum Salam ſupra citatum ad vlcera, erifypelata, & ſcabiem efficax. Itaque Sali vitriolato ſeu Calcanthino in exterioribus inter ſalia primas dabimus, vſum eius intra corpus declinãtes, qui ſanè mihi tutus non videtur, habet enim in ſe ex cupro quidpiam horribile, quod ventriculũ præcipitare, ac periculoſum vomitum conciliare poſſit, nam & ſolo guſtu nauſeam mouet, eius ego magnam quantitatem habeo, quam externis ſolûm remedijs commodabilem reſeruo.

Vtilitates Salis Colcothartini in externis affectibus.

Sal vitrioli firmam vlceribus ſanationis baſin præſtat.

Monitorium.

℞. Vnguen-

Vnguentum mundificatiuum.

℞. *Vnguenti de succis Arantij vel Vlyssis Aldrouandi. unciam unam. Salis vitrioli seu Colcotharini. Scrupulum unum vel drachmum dimidiam. Misce.*

Hanc mixturam panniculis illitam in fædos vlcerum sinus demerge,& superda emplastrum conueniens,vtpotè Empl: Apostolicum,aut Empl: viride vulgare, seu de Æ-rugine,vel Triapharmacon, si vlcus sanationem pollicea-tur,alioquîn præstat mollificantibus magis & pus mouen-tibus emplastris vtpote Diachylo & Emplastro Citrino rem hanc agere, vsque dum compacta vlceris purulentia diffluxerit, ac emundata penitus fuerit,Teutones dicunt

Speckbutz. biß die Speckbutzen herauß kommen/ poterit & salis huius por-tio alijs quoque vnguentis vtpotè vnguento Nicotianæ seu Tabaci itemq; Aureo,Basilico,ac Fusco similitèr com-misceri,ac vt dictum est vsurpari, sic enim mira præstat, quæ experimentorum fides sensibus ac oculis obijcit. At-que hæc de Salè Colcotharis dicta sufficiant,nunc de Sul-phure vitrioli agendum.

Salis Vitrioli in mundifi-candis fœdis vlceribus mi-ra facultas.

Sulphur Vitri-oli.

Sulphur vitrioli à varijs varimodè præparatur aliqui e-nim Colcothar sale prius abstracto cum admixtione Salis Ammoniaci sublimant,ac postmodum affusâ aquâ in Bal-neo rorido acredinem extrahunt,pulueremque in fundo subsidentem pro Sulphure Calcanthi agnoscunt, qui ta-men mihi vt Metallicus Cuprea quædam terra esse vide-tur,etenim fusili igni subiectus, Cuprum malleabile præ-stat ac post se in crucibulo relinquit. Alij ferri laminas in aquâ in qua vitriolum dissolutum fuerit ebullire faciunt, tum tenuis quasi vel rubigo vel lanugo his laminis aggluti-natur & adhæret, quam postea derasam pro Sulphure habent,sed falluntur,cum id potius sit excrementosa quæ-dam ferri cum vitriolo coniuncti substantia. Verum au-tem Sulphur vitrioli ex vitriolo purificato,& in aqua plu-

Sulphuris Vitrioli Variæ præparationes.

uiali

datum est,vt Mineralia & Metallica purificet ac corrigat, Vegetabilia in gradu suo plus magis perficiat, Animalia vero suppleat,atque sic fatiscentis naturæ secundæ defectus reponat, vel eiusdem fatigationes nouo soletur auxilio.

Colcotharis indulcati vires.

Coscothar porro hoc nostrum manantia sanat vlcera, si ijs insperſum fuerit, Erisypelas vlcerosum cohibet & nouâ Epidermidis deperditæ superadditione afflictam partem vestit,perniones, & quasuis cutis intertrigines redintegrat, vlcerum serpentium ac ex humorum acrimoniâ aut salsedine cutem erodentium ferociam domat, & insolentiam coërcet,Synouiam vulgo **glidwasser** reprimit,cum albumine oui superdatum, hæmorrhagias vulnerum & cruenta sistit stillicidia, si modo locus affectus ita disposi-tus fuerit, vt venis sanguinem fundentibus applicari queat,& ad eas pertingere possit.

Synuia Glidwasser.

Emplastrum Opoteldoch magnum Colcotharinum auctoris.

Pro Dei vero gloriâ, proximi charitate, & vitrioli famâ, pandam tibi candide lector hic & communicabo Emplastrum meum Opoteldoch magnum Colcotharinum,cuius descriptionem diu secretam detinui,vt qui medicaminis eius confectionem paucis reuelatam mihi seruaueram,attamen quia bonum participatiuum & est & dici solet, non volui hac in parte Christiani hominis (qui cunctis prodesse cupit,ac debet,) officium negligere, sed eius apparationem hoc loci liberè & fidelitèr publicare, cum in vlceribus vulneribusq; mira præstet, attamen magis operatur in vulneribus cruentis recentèr inflictis, ac plagis iam modò contractis,eas enim mundificat & confestim imò aliquando sine copiosâ suppuratione persanat. Eius autem descriptio hæc est.

℞. *Ceræ nouæ mundißimæ libram unam.*
Terebinthinæ mundæ, vel ſi mauis Cypriæ aut Venetæ uncias ſex.
Gummi Elemi. uncias tres.
Olei Hyperici.
Myrtini ana. unciam unam ſemis.

Liquefiant ſimul omnia, & poſtquam diffluxerint adde eis ſequentia, Nempè.

Emplaſtri Colcotharini deſcriptio.

Gummi Ammoniaci mundißimi.
Galbani.
Opopanacis. ana. drachmas tres.
Colophoniæ drachmas ſex.
Mumiæ ſelectæ.
Succini albi pellucidi. ana. drachmas duas.
Olibani albi
Maſtiches purificatæ.
Sanguinis Draconis.
Sarcocollæ à recrementis purgatæ. ana. drachmam unam ſemis.
Aloes hepaticæ. drachmam ſemis.
Myrrhæ. drachmam unam.

Diſſoluantur Gummi in Aceto, iunganturque ſimul commodè ac ſecundum artem, agitando ſingula, ac vbi fermè refrixerint, paulatim ac ſtudiosè inijce.

Lapidis Magnetis præparati. drachmas ſex.
Croci Martis, ex arte ſine corroſiuo concinnati unciam unam.
Tutiæ præpar: unciam unam.
Lapidis Calaminaris identidem præparati. uncias quinque.
Lithargyrij auri. unciam unam.
Colcotharis indulcati ſeu Terræ vitrioli mortuæ ac dulcificatæ. uncias duas.

Rediganturlege artis in Emplaſtrum, quod frigefactum dureſcat, ita vt diſſiliat. Qui mollius id habere optauerit, Terebinthinæ ac oleorum ſupradictorum quantitatem nonnihil adaugeat. Alioquin rectè ſic ſubſiſtit.

Additiones in hoc Emplaſtrum.

Notandum quoque. poſſe Emplaſtro huic ſuccum Alchimillæ Symphyti, Veronicæ, Pyrolæ, Saniculæ, Conſolidæ mediæ vel Saracenicæ, Telephij, Nicotianæ, Nummulariæ aut foliorum Quercus adijci. Sua ſit cuique intentio libera.

Empla-

Emplastrum hoc magnæ est vtilitatis ad vulnera recentia, ea enim protinus persanat, spicula, tela, cuspides dummodô ossibus fixi non hæreant, itemque crines, paleas, ac resegmina, aut quæ vulneri inciderint, extrahit, symptomata vulneribus infensa, ac periculosa, si citô applicetur anteuertit & præcauet, tumores affluxusque humorum, qui cæsæ ac offensæ parti incumbere solent reprimit, ac dissolutam vnitatem quantociûs iungit, consolidat ac cicatrice claudit. Deseruit autem Emplastrum hoc quam maximè bilioſis poculatoribus, inter epulas prælia exercentibus, qui sese cæsîm punctîmq; in conuiuijs oblædere solent, quando hic cantharo in caput illiso, alius vitro in faciem excusso pugnis per ebriam pugnam contusus cruentatur, his enim omnibus Emplastrum hoc, (eloto solûm prius calente vino vulnere, rursusque diligentèr rarioribus pannis siccato) auxilio est, præsentem eis opem præstans, qui ad priorem commessationem paulò post denuô recreati reuertuntur ac redeunt, multô quam prius alacriores, vt quibus verbera animum fecerint, ac sopitum torpidumque robur visa sint excitasse.

Vtilitates ac vires huius Emplastri.

Cœpulones hoc Emplastro sæpè indigent.

Solebant olim Germani equites stabularij Machæris ac pugionibus suis pro more suo Teutonico ceram plerumque rubram ac viridem ad capulum seu manubrium affigere, vt ea si quando necessitas exigeret ad vsum præstô esset, ij nunc magdaleonem huius emplastri suis præfigant ensibus ac dictis pugionibus ceræ loco agglutinent (possunt enim obsignandis literis emplastro hoc rubeo æquè ac cerâ vti) quod si quis inter illos (quoniam & hi creberrimè inter compotationes ac aularum conuiuia, imô in comitijs quam maximè tumultuantur) fauciatus fuerit, magdaleonem suum quem ensis vaginæ aut capulo gladij affixum secum fert, supra prunas digitis tractando

Germanorum equitum mos antiquus.

ATENEO VENETO VENEZIA

& mollificando malaxet, eumque in placentam tenuem diducat, quæ vulneri obtegendo par sit ac sufficiat, eamq; placentam sauciæ parti, quæ vino prius elui rursusq; exiccari debet superimponat, manè & vesperi eam detrahendo, mundificando, ac iterum applicando, melius tamen fuerit, si quoties placentam à læsa parte detraxerit, absterso pure placentam denuô malaxauerit, vt ea quasi renouata nouam acquirat superficiem. Vbi vulnus ad sanationem quæ Deo dante ad vsum huius emplastri celeritèr subsequitur perductum fuerit, mundificet æger suam hanc placentam eamque rursus in magdaleonem redigat, suoque refigat gladio, posteris certaminibus forsan in triuiahibus diuersorijs futuris iterum seruiturum, non enim necesse est nouum semper emplastrum assumere cum aliquot vicibus vnum & idem vsurpari queat dummodô diligentèr malaxetur (Germani malaxare waich machen/vnd durch einander bören vocant) sic multa emplastrum hoc ijs præstabit commoda, qui rixis addicti in Choleram abeunt, aut animo alioquîn in furiam prompto confestim leui de causa irritati bilescunt ac irascuntur, hi enim omnium primô impingunt & quæ certamina primi cæperunt, vltimi sed lacerâ cute finiunt.

Malaxare Abbörē oder mit händen waich machen.

Poteris autem emplastro hoc in vlceribus quoque fædis ac putridam saniem stillantibus vti, est enim & ijs accommodatissimum, putredinem namque aufert, deficcat, mundificat, & consolidat ac quod malignum vlceribus inest remouet, nam & in plagis, si armorum genus aliquod quo vulnus inflictum fuit veneno infectum fuerit, toxici vim frangit ac extrahit, videbis ex eius vsu mirabiles effectus, quos potius obseruari, quam à meipso pluribus prædicari opto.

Calcan-

uiali cui phlegmatis Calcanthini tertia quasi pars sit admixta dissoluto, affuso oleo Tartari paratur, sic enim confestim absque igne sulphur sequestratur quod sese vitri (quod amplum esse debet) parietibus affigit, id post liquorum separationem, aquâ eluitur vt dulcescat, euadit enim tam insipidum vt Cretam, Bolum Armenum, aut Terram Lemniam æmuletur, quin imô fixum est, nec combu ritur, sed flammas spernit, in hoc magna & pertinax tinctura latet, etenim vitrum in quo paratum fuit, adeo tingitur, vt nulla arte, nec lixiuio, non affrictu Salis vel cinerũ aut arenæ repurgari queat, ita vel in vitrum agit, Germani opifices dicunt **es fellt starck ein**/ Sulphur hoc flauum est instar ochræ, quod Anodynum esse perhibent, ego vt verum eloquar licet ad manus habeam eius experiundi periculum nullum feci, cum Opio ritè præparato ac per Ambræ coadunationem correcto gaudeam. Aiunt gallinas porrectis Sulphuris huius granis aliquot obdormiscere, dehinc vero alacriter expergisci, quod forsan aduentante vere tentbao. Alioquin tutissimum mihi videtur cum omni sapore careat, nullaque sit vel acrimoniâ, vel salsedine, aut odore aliquo externo præditum. Tripolim æquat quâ barbitonsores in poliendis suis patinis ac lebetibus vtuntur huic enim planè similis existit.

Verum Sulphur Vitrioli mit Tartaro niderge-schlagen.

Gallina assumpto Sulphure Vitrioli obdormiscunt.

Tripolis.

Ex vitriolo quoque paratur medicamentum vomitorium quod vitriolum album vomitiuum nominant, id sic conficitur. Dissolue vitriolum album in aqua Fæniculi, dissolutum diligenter cõla, ac aquam euapora vsque dum id quod in cucurbita restibile est cuticulam contrahat, tum frigori, expone vt crystallos gignat, quos rursus in aqua Centaurei soluas, iterumque vt prius in lapillos cogas, hos tertia vice in aquâ Rosarum odoratissimâ soluito, coagulato, tandemque siccato. Vsus eius est in verminationibus,

Vitriolum album Vomitiuum.

febribus ſtomachalibus ex prauo nutricatu, putrido alimento & corrupto victu profectis, vulgo **Magenfieber/** datur his qui fungis venenatis paſti ſunt, aut fructibus fugacibus ſeu horæis, leguminibus, oleribusque ſeſe replerunt, commodum ſanè medicamentum militibus quibus caſtramentationes diuerſæ ſæpè probum victum negant, quique putridas ex paludibus quandoq; aquas potare coguntur. Datur ex iuſculo carnis, vino, vel ceruiſiâ, aſt vbi æger vomere incipit commodum eſt vt iuſculum pulli, caponis, aut aliud præpingue ad manum ſit, de quo ægro ſæpè ſorbitio exhibenda, ſic enim facilius euomet, nec ita cum nauſea colluctabitur. Theophraſtus ſale magis vitrioli quod Gillam appellat vſus eſſe videtur: eſt & liquor vitrioli vomitorius quibusdam in vſu de quo vide Oſvvaldum Crollium in Baſilica. Veruntamẽ hæc hoc loci dicta ſufficiant, nobis tandem ad olei Calcanthini tractationem acceſſuris Diuinum numen aſſiſtat.

Vſus.

Subeſt autem adhuc Magiſterium vitrioli, quod ex cius Sale, Sulphure, ac oleo, ſimul mixtis, compactis ac coadunatis & in lapidem coagulatis conficitur, id ad omnes morbos ventriculi, ex crapulâ prouenientes, repletiones nimias ex edacitate oriundas, indeq; natas febres, plurimûm valet, paucorum granorum pondere ex vino vel pulli iure hauſtum, mundificat enim, repurgat, aperit, incîdit, & ſi quid putrefactum vel corruptum ſtomacho inhæſerit, idipſum emendat ac corrigit, appetitum rurſus inſtaurat, & Icteritiam delet, Cachexiæ & fædo corporis habitui remedium ſalutare, ſed in eo parando, multo labore opus eſt, vndè & rarius in vſum venit, cum artifices deficiant his fatigationibus ſuſtinendis opportuni. Sed iam ſiſto calamũ olei Calcanthini vires, vſum, ac parandi modum proſequuturus.

Magiſterium vitrioli.

CAPVT

CAPVT NONVM.

De oleo Calcanthi vero, seu oleo vitrioli acido.

NVnc tandem ad regem medicamentorum omnium sublunarium accedendo, quibus ac quantis is viribus polleat disquiramus, veracitèr hoc pensitando, Medicinam sine hoc, inermem, fatuam, luminis orbam ac inanem existere, cum vitriolum omnium aliorum remediorum auxilia non modo intendat, augeat, vigoret, ac perficiat, quæ huius beneficio destituta vanescunt, aut languent, vel segnia torpescunt.

Oleum Vitrioli est Rex omnium Medicamentorum.

Igitur oleum hoc Calcanthinum paraturus, sumito Colcotharis ad rubedinem exusti quantum volueris, id in parua frustula diffractum, vel grosso (vt loquuntur) modo pulueriſatum (etenim si in tenuem pollinem redigatur, non ita promptè succedit negotium) in retortam capacem ac amplam, ex optimâ terrâ figulinâ confectam quæ vim ignis sufferre queat, intusque vitreatam inde, adiectis frustulis coctorum laterum, qui vnâ cum Colcothare hoc igniuntur, cauendum tamen ne retorta vltra tertiam partem repleatur, huic ampliſſimum vas recipiens applica, luto philosophico aut pastâ Hermeticâ ex albumine oui, calce viuâ Scoriâ ferri, Bolo Armeno, Sale, Argillâ, glutine dissoluto & similibus confectâ, rostro retortæ tenacitèr agglutinato, deinde igne aperto à secundo caloris gradu ad intensissimum vsque & extremum oleum Colcotharis vrgè, cauendo ne recipulum rumpatur, aut fissum dissiliat, ignis hunc intensum gradum largo tempore protrahe, vsque dum nihil amplius olei stillare, vel fumosi

Olei Calcanthini praparatio.

Lutum Hermeticum.

vaporis in excipulum euomi notaueris. Tum vero in vtre vasis recipientis oleum habebis vitrioli perfectum illudq; acidissimum, quod vt à fæcibus repurgetur, cucurbitæ inditum, ex arenâ calente per alembicum pellatur, vt sic reddatur purius, quod enim in fundo remanet Chymicis magis vsibus ad Metallorum operas deseruit, tu nobile illud quod Alembicum transcendit, in vsum Medicum reserua, ac eo fidentèr vtere.

Olei Vitrioli rectificatio.

Atque hoc est acetum illud terrestre, appetituale & esuriuum, quod deiectam instaurat appetentiam, cum tamen præterea & è contra Orexin ac caninam famem sanet, hæc est illa Oxalis seu Acetosa, quæ febres quascunque exurentes suo modo vsurpata restinguit, & Causonides reprimit, hæc est illa Oxyacantha, bilem domans, hic est ille succus Agrestæ vomitum consopiens, hic est ille liquor Cydoniorum aluum stringens, ac biliosam Diarrhæam cohibens, hic est ille acidus Limonûm succus, febribus pestiferis ac quibuscunque malignis aduersus, hic est ille Crespinus sitim sedans ac vua crispa oris tollens amaritudinem, hic est Rubus ille Idæus cordis vires reparans cuius dotes innumeræ, ac facultates insignes nullo sunt volumine comprehendendæ, insigne enim hoc Dei opt: max: donarium cunctas laudes superat, & deprædicatorem suum ad raucedinem vsque fatigat, cum noua indies ab eo prodeant auxilia, tanta celebritate, securitate, facilitate, promptitudine ac iucunditate dotata, vt mundus ipse in admirationē raptus obstupescat, vilescentibus interim ac fatiscentibus ijs calumnijs & opprobrijs, quæ vel pigra quorundam petulantia, vel liuor aut pertinax odium, ad lucernam hanc caligantium, stultè, temerè, arrogantèr ac ineptè sine vllâ ratione effutiuit.

Acetum terrestre esuriuum.

Opprobria cõtradicentium in nanum abeunt.

Oleum autem hoc vitrioli (vt pauca de eius viribus referam

feram) has præclaras dotes possidet, datum namque ex aquâ Rorismarini, florum Sambuci, Maioranæ, Saluiæ vel Betonicæ, capitis dolores à frigore profectos persanat, cum aquâ Pæoniæ, Florum Tiliæ ac Cerasorum nigrorum Epilepsiam ac morbum Comitialem protracto per hebdomadas aliquot eius vsu eliminat, cum aquâ Lauandulæ vertiginem tollit, cum aquâ florum Paralyseos seu primulæ veris aut Iuæ Artheticæ Paralyticis prodest, Lethargicos cum aqua Liliorum conuallium aut aliâ aliquâ appropriatâ suscitat, cum aquâ Euphragiæ porrectum oculos recreat, & neruum opticum obstructum reserat, ac cerebri infarctus mirâ facultate expedit.

Olei Vitrioli cum appropriatis ac specificis accommodatio.

Potentius porro operatur, si Syrupis conuenientibus ad quemque affectum analogâ ope valentibus remisceatur. Paradigmatis loco hoc sit, in frigidâ capitis vel cerebri constitutione, vbi pituitosi humores eidem cerebro noxam intulerint.

Oleum Vitrioli commodissimè Syrupis admiscetur.

℞. *Syrupi de Betonicâ.*
De Stœchade.
De Floribus Pæoniæ.
ana. unciam vnam semis.
Mellis Anthosati.
De Floribus Paralyseos.
Oxymellis Scillitici. ana. drachmas sex.
Olei vitrioli quantum satis pro iucundo acore. Misceantur.

Syrupus ad frigidos cerebri affectus.

Dentur ægro manè tria vel quatuor cochlearia ieiuno ventre absorbenda, similitèr & vesperi vbi concoctio peracta fuerit, horâ vnâ antè cœnam totidem, isque desuper ad horam vnam à cibo abstineat. In calidâ discrasiâ sit hoc exempli loco.

℞. *Syrupi de Nymphæa simplicis vel compositi.*
Violati ex flosculorum succo confecti.
De Papauere erratico. ana. uncias duas.
Olei Calcanthi quantum pro aciditate conciliandâ sufficere videbitur. Misce

Syrupus in calidâ capitis discrasiâ usurpandus.

Vtatur

Vtatur eo æger eo modo quem iam iam significauimus. Insomniam leuat, calidos capitis dolores eosque furibundos demulcet, ac bilioſæ Cephaleæ auxilio eſt, felleas aut ex bile profectas euaporationes ſupprimit, ac æſtum cerebri temperat. Medetur Hemicraniæ ex efferueſcentis aut ebullientis in ventriculo bilis praſſinæ conſenſu natæ. Sed de his præſens diſponat Medicus, qui addendo, detrahendo, varimmodè pro rectâ intentione & occaſionis exigentiâ medicamentum mutare & alitèr atque alitèr diſponere poterit.

Vires huius Syrupi.

Nunc autem Polypos naribus innatos ac ijſdem hærentes contactu eximit, & Ozænas repurgat, in Lue venerea vbi earum partium oſſa & Cartilagines putrefiunt, & ruinam minantur, corruptionem auffert, aqua Plantaginis aut Conſolidæ minoris vel maioris atque etiam chelidoniæ remixtum, Vuam pendulam ac flacceſcentem, imô vlceribus fædam decocto Guaiaci inditum ac collutum, mundificat & conſtringit, ac glandulas prætumefactas à pituitæ infarctu ac repletione liberat ſi cum Melle Roſato lingatur. Dehinc Aphtas delet ac putreſcentia oris & gingiuarum vlcera, latius ſerpere conſueta funditus extirpat, laxasque gingiuas ſtringit, Tartarum ac muccoſitates dentibus adnaſci ſolitas abſtergit, vndè dentes purificat, firmat ac dealbat. Cauitatibus eorum inditum vermes necat, & dolores eorum ſopit, ſed os dolorificum frangi tandem neceſſe eſt, quod tamen ſine dolore poſtmodum excidit. Ad hæmorrhagias porrô gingiuarum vbi quandoq; cuulſo dente cruor ægrè ſiſtitur, vnicè valet, ſolo enim contactu loci ſanguinem ſtillantis, & ex maxilla profluentis, aream contrahit & eam cruoris eruptionem protinus cohibet. Cum aqua Prunellæ Semperviui ſeu Sedi maioris aut Portulacæ gargariſatum, Prunam delet, ac inflammatio-

Oleum Vitrioli Polypos & Ozanas perſanat.

Vua procidua.

Aphtæ.

Ad putridos & canos dentes

Gingiuarum hæmorrhagia.

Prima.

mationes linguæ & Oësophagi ad gurgulionem pertingentes reprimit, præsertim si Rob Nucum, Diamoron aut violaceus Syrupus admixtus fuerit, vt Gargarismus vel collutio plus humecta reddatur, sed Nitro permisceri non debet, quo alioquin iam fido experimento certificati vtimur, eo tamen correcto, purificato, ac cum Sulphure fuso, quod nostræ officinæ sub nomine Anodyni mineralis complectuntur, id enim non modo intra corpus assumitur, & ex aquâ aliqua conueniente vel iure pulli potandum datur vel vnciæ vni Butyri recentis, salis eius drachma remiscetur, quod in aquâ frigidâ asseruatur, dando subindè ægro buccellam eius pisi magnitudine idque sæpius in die, id autem sensîm vt aridam linguam mollificet ore liquare conuenit, sed tunc à Gargarismis oleum vitrioli exulet cuius alioquin guttulæ paucæ in collutiones admittuntur, etenim Nitrum & vitriolum simul iuncta aquam fortem soluendo argento destinatam confestim repræsentant, proindè naturas rerum obseruare oportet, vt quæ sibi cõmodent & conueniant, & quæ ex ijs resultent, peritus artifex resciat.

Anodynum mineral.

Cautio.

Meminerit beneuolus lector, nos supra monuisse in cerebri morbis, ac capitis affectibus, Spiritum vitrioli, vtpotè volatilem ac oleo leuiorem, potiores vires obtinere, nisi morbus vel Symptoma aliquod à labe principali alicuius visceris interioris vtpotè Ventriculi, Iecoris, Lienis, aut Mesenterij dependeat, & exindè proficiscatur, ac per consensum caput afficiat, tunc enim in inferioribus Oleum potentius agit, sed hæc ipsa Praxis-vsus, & obseruatio docet.

Obseruatio.

Nunc vero ad Pectoris morbos & affectus descendendo pro parte mea liberè, candidè, ac syncerè fateor me in ijs oleo vitrioli parum, imo vix quidquam tribuere, dummodo

Oleum vitrioli ad pectoris morbos haud utile.

modo eos nõ exacerbaret, offenderet, ac exasperaret, licet sint qui promiscuè eo in iam dictis pectoris, pulmonis, ac pleuræ morbis vtantur, qua autem vtilitate nescio, & licet sciam, oleum Sulphuris acidum (quod oleum vitrioli ferè repræsentat) in Asthmate plurimum posse, imô dextrè exhibitum vel vsurpatum, etiam pulmoniacis ac purulenta screantibus proficuum existere, vtpotè quod pulmonûm vlcera deficcet & mundificet, id tamen alterius planè est naturæ, vtpotè à Sulphure & ei coniuncto (quod Sulphuri proprium est) Arsenico, suas vires sortitum, pro, indè non miror veteres Sandaracam quæ nihil aliud est quam Auripigmenti seu Arsenici quædã species in pectoris morbis vsurpasse, ita enim scribit Dioscorides lib. 5. c. 81. *Prodest ad narium orisque vlcera, & cæteras papularum eruptiones cum Rosaceo, item Condylomata, datur ex mulso purulenta extussientibus, suffitur quoque cum Resinâ aduersus veterem tussim rapto per fistulam nidore, vocem expedit cum melle delincta, suspiriosis cum Resinâ in Catapotio optimè datur.* Hæc Dioscorides: Asclepiades &, Isidorus inueteratis Dysentericis pastillos exhibent è calce viuâ, Sandaracâ Auripigmento, Cadmiâ & reliquis de quibus posteriori capite mentionem facturi sumus. Miror autem magis & plusquam miror imô adigi non possum vt tantos viros, imô Galenum ipsum Sandaracam Græcorum quæ Auripigmenti ac Arsenici est species intra corpus assumendam porrexisse credam, quæ tantum venenũ est, vt Paracelsus (cuius tamen medicamenta pleraque à Galenicis nonnullis venenata putantur, & pro venenis proclamantur) scribat, quamlibet drachmam fortissimum equum occidere, ac miror iterum Dioscoridem eius vsum intra corpus commendare loco iam modo citato, qui iam primum capite præcedenti, Auripigmentum crustas cum vehementi vredine & violento morsu excitare, excrescentias reprimere & capillos euellere scripserat.

Oleum Sulphuris acidũ.

Sandaraca est Auripigmentum.

Pastilli Asclepiadis & Isidori.

Sandaraca Græcorũ qua & Auripigmentum est aut Arsenicũ venenum est.

Hæc

Hæc res diu me torsit, sæpeq; perplexum reddidit, quando veteres eosdemq; Medicinæ proceres tanto veneno intra corpus vsos fuisse legeram,& sanè si modernus aliquis Medicus priscorum scriptis insistere, ac similiter Sandaracam Græcorum seu Auripigmentum vel Arseni- *Sandaraca Græcorum Realgar est seu Arsenicum.*
cum (idem enim sunt) exhibere voluerit,non aliud video quam quod in qualibet eius pharmaci porrectione latrocinium sit patraturus, ægroq; certissimam necem illaturus,cum vnicus scrupulus homini interficiendo,sat sit,& drachma vna prout Paracelsus monet quemuis equum etiam robustissimum prosternat. Quid igitur dicendum? homicidas ne appellabimus vereres, aut eorum dogmata & facta sequentes, ciues in perniciem agemus,ac enecabimus? Absit. Videant reuera polituli nostri familiares Galenici,qui venena solis ferè Hermeticis ac Spagyricis medicamentis adscribunt, vt suam prius aream venenis ac toxicis repletam repurgent,postmodumq; Chymicos Meditamentorum præparatores, qui in quibuslibet rebus ad Medicinam aptis,purum ab impuro, nociuum ab vtili & proficuo,venenatum ac lethiferum à salutari & auxiliatorio separando ac sequestrando desudant, in eaque re vitæ suæ labores integrè ac candidè pro mortalium charitate & commodo ponunt carpant, nec festucam Hermeticis *Parcant quæso Galenici Hermetici.*
artificibus ex oculo eximere conentur, qui ipsimet infixis integris trabibus occæcati omnis ferè luminis orbi sunt effecti,ac in tenebris palpantèr & palpitantèr toties ac tam grauitèr impingendo oberrant. Sed de his capite subsequenti cum ad eam disquisitionem deuenerimus, vtrum, quibus,ac quomodo veteres Medici magnates ac primarij, Metallicis ac Mineralibus intra corpus fuerint vsi remedijs, ibi Galenici nos ipsos tanquam ex speculo contemplabimur,nostram gentem priscis sæculis tam ab arte

Hermeticochymica alienos ac desertos fuisse non modo admirantes verûm magis deplorantes.

Excusatio veterum.

Quomodo igitur maiores nostros excusabimus? quorũ famam vt parentum ac præceptorum tueri debemus ac tenemur. Ego sanè nullibi ijs succurrendi vel opem vel auxilium inuenio, nisi eos Sandaracam hanc suam præuiâ præparatione repurgasse, ac à veneni labe immunem reddidisse dicamus. Sed cur præparationis aut purificationis eius mentionem nullam faciunt? hic iterum hæremus, aut dicemus posteros nomen Sandaracæ Arsenico & Auripigmento inconcinnè tribuisse? sed ne hoc quadrat, Dioscorides namque, Galenus, & alij Sandaracam nimis planè describunt, adeoq; depingunt, vt non possit non cognosci vel deprehendi, vndè non quimus dicere eos alterâ Sandaracâ Arabum vsos fuisse, aut eam intellexisse, eum nullatenus eorum descriptioni concordet vel conueniat, ea enim vernix est, & gutta seu Gummi Luniperi, quod tutissimè vsurpari potest. Itaque multis annis dubius in hac veterum ac priscorum antecessorum nostrorum medicationis consideratione hæsi, dum tandem in Paracelsi scripta inciderem, qui veterûm famam à calumniâ hac videtur vindicasse, quem nunc ingratiarum (scilicet vel quasi) repensionem iniquè moderni quamplurimi pro venefico proclamant, is namque veteres per vini spiritum venenatam qualitatem Sandaracæ suæ ademisse & extraxisse scripsit, cuius de Arsenico proprio capite claram opinionem & sententiam legere poteris. Tomo. 7. de Rebus naturalibus.

Sandaracæ Arabum.

Paracelsus veterum famam vindicat.

Oleum Sulphuris eiusque consideratio.

Sed hæc extra vitrioli aream, cum incidentèr tantûm in Sulphuris acidi ac vitrioli liquorem repræsentantis declarationem deuenerimus, cuius oleum oleo vitrioli omninô est assimilandum, sed id tantam astrictionem non haber,

quantam

quantam Calcanthi oleum, vndè in morbis Pectoris meritô oleo vitrioli præferendum: duo namque sunt quæ olei vitrioli vsum in pulmonis ac pectoris vitijs diſſuadent, primum est acrimonia his locis infensa, secundum est acetositas ijsdem partibus inimica, tum & astrictio eas exasperans, quibus occasionibus singulis simul & semel eæ partes offenduntur quæ Bechicis remedijs indigent ac tractari postulant ac linctubus consolari sueuerunt, mollibus ijs quidem ac planis & ab omni vel aciditate vel austeritate alienis, vnde oleum vitrioli à pectoris curatione eximitur, vtpote his vitijs pellendis ob dictas iam causas haud accommodum.

Causa cur oleum vitrioli excludatur à pectoralibus remedijs.

Veruntamen ad morbos ventriculi deueniendo non est vllus iam dicti ventriculi affectus, cui oleum vitrioli non dominetur, excepto sanguinis vomitu, & stomachi inflammatione vel abscessu, reliqua omnia ventriculi mala oleo vitrioli subiacent, & ex eius vsu domantur, non solûm calida sed & frigida symptomata & affectiones quæuis promiscuæ, quæ ex eo quasi foco prodeunt, has enim omnes exterminat, Choleram morbum, euomitiones, nauseas ac violentas stomachationes sedans, vndè in frigidâ causâ cum Syrupo de Mentha, de Absinthio, de Cinamomo, de Enulâ, ac de Corticibus Citri vel similibus porrigitur. In calidâ noxâ cum Syrupo Granatorum, Acetosæ, Crespini Ceraſorum acidorum vel Berberorum aut Syrupo de Rosis siccis (si stringendum est) exhibetur, cum Syrupo Myrtino ac Cydoniato bilioſas Diarhæas stringit: sed & diuersimodè datum fastidia tollit, ac nauseas perimit sitim sedat, oris amaritudinem auffert, victus vel assumpti cibi bilescentiam, aut corruptionem quamuis aliam fieri prohibet, & iam factam corrigit vel emendat: datur acidum aut acre vel amarum ructantibus, præsenti auxilio & remedio

Vitrioli oleum ad omnes ventriculi morbos efficax.

Varia olei vitrioli per diuersis affectibus accommodationes.

dio planè ſalutari, Iulepio Roſato, Violatoue, aut Rob de Ribes permixum, aſt in frigidâ causâ Melli Roſato Citrato, aut Syrupo de Pimpinella aut Enulâ, vel alio conſimili inditum: cum Syrupo de Agreſtâ porrectum bilem necat praſſinam, ac Iſatodem exterminat: cum Syrupo de ſucco Scordij aut Cardui Benedicti, putredinibus quibusuis adueſatur, cum Syrupo de Portulacâ cui cortices Citri inditi fuerint, vel cum Syrupo florum Hyperici vermes necat & expellit: cum Syrupo Acetoſo Diarhodon, aut Syrupo de ſucco Hederæ terreſtris, vel Cerefolij aut aquâ eius ſtillatitiâ grumoſum diſſoluit ſanguinem, cum Syrupo de ſucco Plantaginis, bilioſas compeſcit Diarhæas & Lienterias mitigat, cum Syrupo de Symphyto vel Syrupo de Hiſpidulâ ſeu Piloſellâ impuris medetur abſceſſibus, cum Syrupo florum Boraginis ac Bugloſſæ, itemque cum Syrupo florum Tunicæ aut Rubi Idæi vel violato ex foliolis cor recreat & infirmas eius vires reponit.

Putredines, vermes ac ſanguis grumoſus.

Oleum Vitrioli cor recreat.

Cum Syrupo de Limonibus ac Fragis itemque de Altheâ, aut Adianthino Fernelij vel Nephrocatarctico Iouberti calculos atterit, ac cum aquâ Ononidis, Herniariæ Hollerij ſeu Empetri aut Linariæ, vel Vincetoxici, eosdem frangit ac per vrinarios meatus expellit & exturbat necnon remorantem vrinam expedit. In Colica cum Syrupo de Chamomillâ datur: in inteſtinorum conuolutionibus ac ſtrictâ aluo cum brodio Prunorum aut Paſſularum, vel Zibebarum ſucco laxante.

Olei Vitrioli uſus in calculo.

Iam vero in Iecoris morbis quid quæſo præſtantius ac excellentius reperias? obſtructiones enim quasuis reſerat, vnde Cachexiæ præſens eſt remedium, auxiliatur proindè ex obſtructione venarum meſaraicarum ipſiusque iecoris ægrè ſpiritum ducentibus, ſuſpirioſis, cacoſtomachis, quibus aſſumpti cibi ventrem grauant, & diſtendunt,

Oleum Vitriolis morbos Iecoris perſanat

ac vt

ac vt follem inflant, Ictericos ſanat protinus cum Syrupo Bizantino, de Eupatorio vel de Cichorio cum Rhabarbaro datum, aut cum Syrupo de quinque radicibus porrectum, Hydropicos purgato ſubindè corpore plurimum iuuat imò perſanat, abactis per vrinam ſeroſitatibus, præſertim ſi cum aquâ Agrimoniæ aut Sanctæ Kunegundis quæ Eupatorium eſt Auicennæ, aut cum aquâ Lumbricorum terreſtrium, admixtâ portione aliqua Syrupi de Cinamomo præbeatur. Arquatum morbum tollit cum Syrupo de Scolopendrio, Lienemq; ſtringit, ac ne Scyrrhi in eo generentur prohibet, vreteres mundificat, vaſa ſpermatica eluit, ac totam ventris inferioris aream extergit. Vt autem beneuolus lector videat me candidè ſecum agere & fidelitèr hæc tractare, habeat ex mea pharetra depromptam Syrupi Aperitiui magiſtralis deſcriptionem, omnibus omninô Iecoris, Meſenterij, Hepatis ac venarum meſaraicarum obſtructionibus ſalutarem, quo quidem Syrupo plurimi per diuturnas febres in Cachexias ac Hydropes deuoluti priſtinam ſanitatem rurſus ſunt adepti, ac ex vitæ periculis emergentes reualuêre. Is ſic habet.

Hydrops.

Oleum Vitrioli Lienis eſt medicamentum.

Febres Chronica in Hydropem degenerantes.

℞. *Succorum Radicum Cichorij.*
Pimpinellæ. ana. depuratorum libram unam.
Fumariæ.
Lupuli. ana. uncias ſex.
Petroſelini.
Fœniculi. ana. uncias tres.
Radicum Apij.
Enulæ.
Aſparagi.
Eryngij.
Vincetoxici. ana. unciam unam.
Herbarum Agrimoniæ.
Sanctæ Kunegundis, ſeu Eupatorij Auicennæ.
Agerati. ana. manipulum unum.

Syrupus de Succis ſeu Aperitiuus Magiſtralis dictus.

Florum *Centaurij minoris.*
Folior. *Ceterach.*
Adianthi albi & nigri.
Cuscutæ.
Card: Benedicti.
Comarum *Absinthij Pontici. ana. manipulum semis.*
Granorum Alkekengi. unciam unam.
Aquæ fontanæ. libras sex.
Aceti Scillitici. libras duas.

Arida omnia ex prædictis sex libris aquæ coque vsque dum supersint libræ duæ, has transcola diligentèr, & cum succis & Aceto Scillitico additis Sacchari albi libris tribus semis coque in Syrupum iustæ consistentiæ.

Syrupi huius usus & per oleum Vitrioli fortificatio.

Huic Syrupo adijciatur vel admisceatur tantundem olei Calcanthi seu vitrioli, quantum sapor tolerare posse videbitur, vt assumpturo grata obueniat aciditas, huius tria porrige cochlearia ægro antè ientaculum, totidemq; antè prandium, & cœnam, vt medicamentum vacuo ventriculo & à cibis non onusto vel oppresso ingeratur, poteris ei si laxandi intentionem habueris Brodium Zibebarum vel Passularum laxatiuarum, vel Syrupum de Polypodio aut Laxatiuum nostrum familiarem adiungere, atque sic assumentis aluum perpurgare. Is autem sic componitur.

Syrupus Laxatiuus Familiaris Auctoris.

℞. *Pulpæ Tamarindorum. uncias duas.*
Iuiubarum.
Sebesten. ana. numero viginti.
Prunorum Damascenorum.
Caricarum pinguium. ana. numero decem.
Hordei integri seu non excorticati, manipulum semis.
Polypodij quercini. uncias duas semis.
Seminis Fæniculi, drachmas duas.

Decoquantur simul in aquæ fontanæ libris septem ad remanentiam librarum quinque, quibus post colaturam quæ adhuc caleat infunde.

Foliorum

Foliorum Sennæ electæ. uncias duas.
Agarici trochiſcati.
Rhabarbari optimi. ana. drachmas tres.

Stent in infuſione per noctem, deindè colentur, leuitèr expreſſa.

Colaturæ huic adde.

Mannæ Calabrinæ.
Mellis Roſati laxatiui. ana. uncias octo.
Sacchari Tabarzet vel albißimi. uncias ſedecim.

Coquantur in Syrupum qui Aromatiſetur ex Cinamomi acutiſſimi drachmis duabus, & macis ſcrupulis duobus.

Reponatvr ad vsvm.

Hoc autem Syrupo vbi extra pectoris morbos vti voIueris, tantûm olei vel Spiritus vitrioli, remiſce, vt oxyſaccharum ſapiat, & habebis ad primas ventris vias expurgandas remedium ſalutare & efficax, attamen Syrupum Aperitiuum Magiſtralem haud æquans, ſi is admixtione Extractorum Sennæ, Rhabarbari, aut Scammonij, pro iudicio prudentis Medici fortificetur. *Vſus huius Syrupi.*

Syrupi huius facultates æmulatur ac adæquat Syrupus Domeſticus D: D: Petri Eggoldi Medici Lindauienſis, cuius vſu & ope magnam ſibi apud magnates aliquot famam conciliauit, eum autem ſic deſcriptum, filius eius D: Iacobus| Eggoldus Reip: Memmingenſis Medicus ac Phyſicus dignè conductus mihi fidelitèr communicatam tradidit, hoc modo ſeſe habentem.

℞. *Herb: Adianthi.*
Fumariæ.
Lupuli.
Ceterach.
Fol: Sennæ. ana. manipulum unum ſemis.
Rad: Rhapontici.
Liquiritiæ.
Polypodij.
Cichorij.
Boraginis, ana. uncias duas.

Syrupus Domeſticus D. D. Petri Eggoldi.

Seminum

Seminum Aniſi.
Nigellæ.
Florum Boraginis.
Buglossæ.
Santalorum omnium.
Cinamomi acuti. ana. drachmas duas ſemis.
Aquæ fontanæ libras duodecim.

Fiat decoctio ad medias, reſiduum ſtet per noctem in infuſione, quam manè fortitèr expreſſam colabis, colaturamque eam feruentem proijcies ſupra libram vnam Foliorum Sennæ repurgatorum.

STENT SIC PROBE TECTA PER HORAS VIGINTI QVATVOR.

Deinde.

℞. *Syr: Roſati laxatiui libras qnatuor ſemis.*

Coquantur ſimul ad conſiſtentiam Syrupi, inter coquendum injciendo ſacculum in quo concluſæ ſint, Turbith albi & gummoſi tenuitèr pulueriſati drachmæ ſex, Rhabarbari minutim inciſi vncia una,

F: Syr: ut artis eſt.

VIGORETVR VBI OPVS EST CVM ADMIXTIONE OLEI VITRIOLI, PRO EFFICACIORI OPERATIONE.

Habes hic candide lector præclara remedia quæ olei Calcanthini additione vigorantur, ſic mira ſanè præſtabis, quæ omnia ad DEI optimi max: gloriam meritò & conſcientèr referenda eſſe cogitabis, qui tanto dono mundum hunc adeò ditauit, vt meritò dicere audeas. *Satis eſt Domine Satis eſt.* In vitriolo namque latet, eique inhæret plena, perfecta, abſoluta & conſummata cura Cachexiæ, Icteri, verminationis, Epilepſiæ, Hydropis, Lithiaſis, Calculi & Arenarum, quinimô & Eriſypelatum, Scabiei, vlcerum Phagedænicorum, incipientis Lepræ, Elephantiaſis, Pſoræ ab aduſto ſanguine natæ, Hypochondriacæ Melancholiæ, Arquati, Scirrhorum ac induratorum viſcerum quibus non reperitur remedium, his enim omnibus oleum vitrioli auxiliatur ac ſubuenit. Intendit autem & vigorat præcipuè

Vigor ac Virtus Vitrioli.

omnia

omnia medicamenta vegetabilia quorum virtutes ad ſummum exaltat vt vel in coloribus videre eſt in Syrupo florum Tunicæ, Pæoniæ, Violarum ex floſculis parato qui cæruleus ac Saphirinus eſſe debet, ac protinus olei vitrioli adiectione euadit purpureus, ſicut ſaturato colore corallino Saccharum ac Conſerua Roſarum tingitur, cui Rubinus vix æquiparari poteſt, nos Conſeruam Roſarum vitriolatam appellamus, quæ in aqua communi diſſolutabiliofis, ſiticuloſis, febrientibus, & ſtomachabundis potanda præbetur, præſenti ſanè auxilio, aut ea deuoranda datur praſſinam bilem euomentibus ac amarum ructantibus tantâ ſanè iucunditate, vt ſumentis appetitio morbi vel ſymptomatis pellendi abactionem præuertat. Sed ne charta quidem cærulea colorem ſuum depreſſum ſeruat, etenim hæc ſolo contactu olei vitrioli confeſtim ruffeſcit ac purpuraſcit, ita vt nullus ei color ſimilis adæquari poſſit, cuius decor omnium oculos in admirationem rapit, cum in puncto id contingat: quod ſi hæc fiunt in viridi ligno, quid quæſo in arido fiet? & quis dubitabit oleum vitrioli tam ſubitaneas mutationes efficiens, non etiam vel itidem prompta auxilia corpori illico præſtiturum? Aſt aiunt contrarij quid ſi tam præcipites noxas? expectent hi ac ſubſequens caput quod aduerſariorum ineptias continebit ac prodet, & frigidas eorum ac crudas conſiderationes repudiabit, ac ad Anticyras Helleborum potaturas fundamentalitèr eliminabit, ac tranſmittet.

Virtus Vitrioli Vegetabilium Vires prolicit.

Conſerua Roſarum Vitriolata.

Charta cærulea compactoria Vulgo blaw papir *olei Vitrioli contactu purpuraſcit.*

Comminatio in aduerſarios.

Iam vero vlterius progrediendo, ineſt oleo vitrioli plena facultas omnis generis febres curandi & exterminandi, ſiuè eæ ſtomachales fuerint, ſiuè ex hepatis incandeſcentiâ, aut obſtructione, vel venoſi generis æſtu, aut ſpirituum incendio vel excandeſcentiâ ortum duxerint. Quinimô Peſtilentes febres & malignæ quæuis vinctas ei ma-

Oleum Vitrioli omnes febres curat.

nus tradere coguntur etenim putredinem omnem earum fomitem auffert ac corrigit, datur cum Syrupo de ſucco Acetoſæ, Semperuiui, Endiuiæ, Cichorei, Acetoſitatis Citri aut Limonûm, Granatorum, de Portulacâ, violato vel quouis alio refrigerante. Porrigitur itidem ſaluberrimè ex aquis appropriatis, vtpotè in internis inflammationibus cum aqua Lactucæ, Sedi, Anguriæ, vel conſimili altera, in febribus malignis cum aquâ Cardui Benedicti, in peſtilentibus cum aquâ Calendulæ, Bardanæ, Fraxini, Scordij aut cum Chyloſtagmate Diaphoretico quod in libro de Peſtilentiâ à me antè decennium in lucem emiſſo deſcriptũ habetur: in verminatione cum aquâ florum ſiliginis aut Syrupo de Scordio vel Hyperici, in vteri affectibus cum aquâ Matricariæ, Pulegij, Meliſſæ, Oſtrutij, aut Calaminthę, vel cum Syrupo de Artemiſiâ, Betonicâ, aut melle Mercuriali, prout paulô antè indigitauimus, palinodiam nunc quaſi recantantes, vtpote quod eius vſus frigidis ac crudis quorundam philoſophaſtrorum ingenijs ſatis inculcari nequeat.

Vſus olei Vitrioli.

Hic eſt ille Gallus lucis nuncius quem Leones metuunt, qui gloriam ſentit & noſcit ſydera capitis nempè ac cerebri diſtinctos affectus, hic imperium paſſim tenet, & regnum in quacunque domo ſeu viſcere exercet, hic contra ſerpentes & miluos pro gallinis ſuis dimicat, id eſt contra grauiſſimos ac venenatos morbos pugnat, ac ægros ab eorum inſultu tuetur, ac Bæotijs ſeu languentibus, aduerſus Lacedæmonios ſeu grauiſſimas corporis humani victoriam afflictiones victoriam præſagit. Oleo igitur hoc ad omnipotentis Dei gloriam & proximi commodum, vitam, ac ſanitatem cum gratiarum actione maximâ, tutô, ſecurè, iucundè, ac efficacitèr ſeu proficuè vtamur, abiectis, ſpretis, & contemptis ijs ſcrupulis ad quorum eliminationem iam modo accedemus.

Comparatio Vitrioli cum Gallo Gallinaceo.

CA-

CAPVT DECIMVM.

Eximendis ſcrupulis, ad diluendis quibusdam obiectionibus ac difficultatibus, circa olei Calcanthi ſeu vitrioli uſum occurrentibus deſtinatum.

NEſcio quâ fortunâ nonnulli qui temerè quandoque Medicinam faciunt, in eam tandem conſcientiam ſint adacti, vt vitrioli & medicamentorum ex eo paratorum vſum tam periculoſum eſſe ſibi ſcrupulosè perſuaſerint, ideoque eum alijs diſſuaſerint. Verum hi cum ſcrupulos declinare conabantur in graues ſanè ſcopulos impegerunt, quibus illiſi retrocedere ſunt coacti. Atqui vero vt eorum rationes ad Medicam trutinam ponderemus, occurrit primô illud, Vitriolum eſſe Metallum, igitur intra corpus non aſſumendum, ac ſi veteres metallis intra corpus vſi non fuiſſent? Galenus Nicoſtrati infuſum comendat quo etiam Menandrum vſum fuiſſe tradunt, continebat id Gypſum Sulphur, & præterea tres Stibij ſeu Antimonij drachmas, vt videre eſt lib. 9 de localibus Medicamentis cap: 5. Nicolaus Myrepſicus contra Apoplexiam, Epilepſiam Maniam, Quartanam febrem & ſimiles affectus Antimonium in Antidotum ſuam adijcit, Sect: 1. cap: 470. id quoque Serapio probè cognouit. Reminiſcere quæſo eorum quæ præcedenti capite de Arſenico, Auripigmento & Sandaraca Græcorum fidelitèr retulimus, quæ nihil aliud eſt quam apertiſſimum & præſentiſſimum venenum, quam tamen Sandaracam priſci audactèr corporibus humanis (ſed neſcio quo fructu) ingeſſêre, vix puto vllum ex Hermeticis modernis Medicis tam temerarium

Primũ Argumentum olei Vitrioli uſum diſſuadens.

Veteres Metallicis intra corpus ſunt uſi.

reperiri posse, vel repertum fuisse, vt simile quidpiam tentare vel aggredi ausus fuerit, quantumuis Paracelsus noxam eius Nitro interueniente (quod cum Arsenico fundi debet) adimi docuerit.

Arsenici correctio. Id sic fit ac hac ratione perficitur. Sumito Arsenici cristallini vnciam vnam, Nitri vnciam vnam semis, rediguntur in puluerem & simul mixta crucibulo indantur, hoc circulari igne cingito ignem sensim approximando, indè verò igne vigorato materiam funde & fortitèr colliqua ac vt per satis amplum temporis spatium simul liquefacta diffluant stude, exemptam materiam aqua calente sæpius affusâ ablue, sicca, vini spiritum affunde, quem iterum abstrahes & materiam dulcorabis' virulentis, Gallicis & Cancrosis seu Herpeticis vlceribus remedium salutare. Fit ex eo vitrum viride quod puluerisatum in cellâ, vt oleum Tartari in liquorem soluitur magnæ in chirurgiâ vtilitatis. Sapienti pauca: Auicenna, Halyabbas, Rhasis, Paulus Ægineta, Gilbertus Anglicus, Nicolaus Massa, & alij nonnulli Hydrargyron seu Argentum vinum intra corpus admittunt, prout inter recentiores Matthiolus, Iacobus Syluius Santes Ardoynus lib. 2. de venenis cap. 4. Mercurialis, Rondeletius, Cardanus, Monauius, Agricola, Iulius Palmarius, & complures alij, vide Scholzium in epistolis & Iacobum Zvvingerum in examine chymicorum principiorũ. Sulphure vtitur Hippocrates lib: de nat: mul: Dioscorides purulenta extussientibus id ex ouo sorbili propinat: Galenus 3. Med: sec: loc: cap: 5. id Dysentericis porrigit, quo in dyspnæa ac veteri tussi (Asclepiadis, Proxeni & Andromachi exempla secutus) quoque vsus est, vide Myrepsicum, Actuarium & Aëtium id suis Antidotis satis largè adijcientes. Et hæc quidem si non omnia saltem eorum pleraque cruda metalla fuêre, vllam correctionem, emendatio-

Arsenici oleũ.

Crudis Metallis ac non praparatis vel correctis veteres intra corpus usi sunt.

dationem, purificationem aut ſeparationem puri ab impuro, quæ ſpagyricâ arte venenoſitatem ab ijſdem remouente præſtatur, nullatenûs adhuc paſſa, quibus tamen priſci vſi fuiſſe leguntur, prout & noſtro hoc Calcantho quod aduerſus vermes Dioſcorides celebrabat.

Deindè verô quis non videt veteres, præſertim verô Arabes magnâ quantitate Aurum & Argentum ſuis medicamentis admiſcuiſſe, quod ſi metalla & quæ ab his prodeunt venena vel ſunt vel pro venenis proclamantur, peribit tertia ferè pars eorum medicamentorum quibus purè Galenici hucvſque absq; ſcrupulo ſunt vſi. Exulet igitur Confectio Alchermes, & elidantur Species Cordiales, & Lætitiæ Rhaſis itemque Galeni, nec non Athanaſia, vnâ cum cæteris remediorum formis Aurum & Argentum recipientibus, quibus ipſimet auctores roborandi cordis causâ hæc indidêre. Vbi quæſo manebit Electuarium de Scoriâ Ferri quod Rhaſes iam modo dictus deſcripſit, tot ſæculis celebratum, ex cuius fundamentis Clariſſimus dominus Doctor Fabricius Barzonius Electuarium Chalybeatum deſumpſit, quod poſtea Cratoni Medico Cæſareo adſcriptum fuit, noſtris officinis pharmaceuticis in hunc vsque diem familiare & conſuetum. Quid de Pilulis de Nitro Alexandri Tralliani, itemque de alijs Sal Gemmæ recipientibus ac pulueribus Boracem ac Tartarum habentibus dicendum, quales ſunt Puluis ad partum Helidæi de Paduanis, Puluis ſolutiuus de tribus, Puluis de Tartaro, &c.

Confectiones plurimæ eæque ſolennes metalla recipiunt.

Et quid de vitriolo dicamus? vitriolum enim metallum non eſt, ſed Minerale ſolummodô ex Salium genere, ſunt autem Mineralia Metallis triplô leuiora, neque vnquam vllus vel Medicus vel Philoſophus extitit qui vitriolum metallum eſſe ſcripſiſſet.

Vitriolum non eſt Metallum ſed Minerale tantûm.

Vſus Chalybis in Ictero.

Quo ſe porro vertet vulgus, quod Chalybis limaturam absq; vllâ aliâ præmiſsâ aut præuiâ præparatione magna quantitate, in Ictero, Cachexiâ, incipiente Hydrope, ac grauiſſimis Iecoris, Lienis, & Meſenterij obſtructionibus, ſubſequente mox valido corporis exercitio abundè deuorat, illamque ex Maluatico virgunculis albo Ictero, ac grauitate ſpirandi preſſis, ac menſium ſuppreſſione laborantibus indeq; viuido corporis colore priuatis, in der blaichſucht/ maximo ſanè iuuamine & præſenti fere auxilio (purgato tamen prius corpore) ad dies circitèr viginti continuos porrigit, eundemque morbum qui contumaciſſimus eſſe ſolet, depellere & expugnare didicit, Croco Martis Dyſenteriam interim compeſcente ac Hæmorrhoidas ſupprimente tantâ ſanè efficaciâ vt ei vix par reperiatur remedium. Et hæc de Metallicis ac Mineralibus intra corpus aſſumi conſuetis dicta ſufficiant.

Alterum aduerſariorum argumentum diluitur.

At iam dicunt aduerſarij, tantam Calcantho ineſſe caliditatem, vt inſito ſuo ſibique innato calore concreſcat, ac in lapillos friabiles denſetur, ſed quo fundamento hoc aſſerant neſcio, niſi glaciem quæ ſimili planè modo coaleſcit, coagulatur, congelaturq;, ex ſimili causâ (calore nimirum) denſari ac coire fateantur, quod ab omni philoſophia eſt alienum. Tueri porro nituntur ſuam ſententiam dicentes vitriolum exurere, vlcerare, validè exiccare, & carnes ſeruare, attamen falſum hoc eſſe ſuprâ monuimus, & infra quoque planius explicabimus, vitriolum enim per ſe non vrit niſi ipſummet prius uratur, imô inflammationes reprimit & ad ambuſta valet, deindè quoque ſiccandi eius facultas non probat vel docet id eſſe calidũ nam & frigori maxima ſiccandi vis ineſt, quod & ipſum carnes ne putreſcant conſeruat & à corruptione vindicat, quod noſtri norunt coqui, qui carnes quaſuis ſtudioſè frigori

gori exponunt, vtquam diutissimè gelatæ seruentur.

Attamen aiunt aduersarij, vitrioli coagulationem à calore proficisci, vel sibi indito & innato æstu contingere, ideô & hâc de causâ quod frigus tantæ actiuitatis vix esse videatur, vt Calcanthum condensare valeat, & eius coagulationem in lapidem (vt ipsi vocant ac renali calculo aut vesicali assimilant) cogere ac redigere possit, quem nostrûm nemo adhuc vidit vt lapidem, sed vt glaciem coagulatam, & Sal quoddam Cupreum Atramentosum ac in strias, ac lapillorum quædam quasi gelamina, & pro diuersitate colorum quibus vitriolum magnificè ac mirificè abundat, in Saphirina Smaragdinaq; ac Lazuræa fragmina coactum, condensatumq; repræsentans.

Coagulationis Vitrioli causa.

Sed nescio quare hi Philosophi frigoris vigori vel auctoritati quidpiam derogent vel derogare velint, ac si id suo in genere non æquè validum ac actiuum vt calor existeret, nisi Physicam peruertere velint, etenim notorium est, frigus & calorem licet in summo æquali tamen virium robore, ac actiuitatis æqualis vi contra se pugnare, sibique mutuô opponi, cum contrariæ qualitates sint, eædemq; actiuæ, pari gressu ambulantes, quæ in contrarietatis suæ gradu sibi mutuô oppositæ, viribus licet aduersis, æqualibus tamen sint præditæ. Etenim Symmetria, Combinatio ac Concursus vel Elementorum, in mixti structurâ confluentium iusta temperatio turbaretur si vnum Elementum, aliud sibi oppositum gradu excederet & superaret, imperfectam mixtionem causaturum, quod quidem dominus Deus ipse noluit cum vt ex paribus viribus Elementa vt rerum quædam rudimenta coirent, & ex eorum mixturâ & conflictu nouum quoddam opificium emergeret ac recens rei alicuius genitæ facies resultaret, constituerit, ac naturæ causas has secundas adinuicem iungenti demandarit.

Frigus æquè actiuum est ac calor.

Elementa æqualibus contrarietatis suæ gradibus subsistunt.

Itaque

Prima & secunda qualitates.

Itaque frigus æquè actiuum est quam & ipse calor secundum omnes philosophos, qui hanc maximam nunquam negauerunt, scientes vtpote calorem & frigus æquo sibi ac coæquali gradu opponi vt actiuas qualitates easque primas, siccitatem porrô & humiditatem quas passiuas vocant, his tanquam pedissequas subrogari.

Gangræna.

Paradoxum hoc interijcio: Calidi (aiunt) esse exurere, vlcerare, corrodere, humiditates absumere &c. & hæc quidem vera sunt. Annon autem Gangræna quæ ex summa plerumque frigiditate contrahitur, inflammationis quædam species existit, quæ proinde Sphacelus Germanis nostris vulgaribus frigida vstio (vulgo der kalte brandt) vocatur, numquid & ipsa Gangræna iam dicta vrit? & si non caustica vel Escharotica est, saltem Septica existit, partem quam tetigerit, sensu, calore, motuque priuatam enecans, haud alitèr quam si hæc excessu quodam caloris exusta & corrupta persisteret.

Sulphur Vitriolo Narcoticum.

Id quod de Sulphure referunt, vitriolum nempè eius naturam sapere ac proprietates eius referre ac repræsentare dicentes, sciant velim ac obseruent Sulphur non iam amplius in oleo Calcanthi hærere, sed pro somno conciliando his noctambulis contradicentibus, ac tenebrionibus istis, rem hanc non intelligentibus, iam dudum separatum subsistere, quo tanquam Helleboro Anticyrano vti possunt dûm sapiant. De eo autem antea actum fuit, cum de Sulphure hoc vitrioli Narcotico verba faceremus.

Vitriolum ex mixtis partibus ac facultatibus constat.

Certè Genethliacus is qui vitrioli natiuitatem ac ortum eiusque schematismum ad astralem quandam influentiam reducere, eique Calcanthi vires adscribere conatus est obseruare debuisset, Solem vt calidum supernè, eiusque actus calorificos cum frigidis ex terra vaporibus vitriolum constituentibus (vt ipsemet vult) mixtum quidpiam diuersarum

uersarum virium ac facultatûm generasse, quod separatione, ac artis iudustriâ, in partes suas diuidi queat, quarum quælibet suas vires, ac vel frigoris vel caloris temperantiam, excessum ac recessum suâ pro naturâ in se contineat. Nec vero refert Calcanthum ad Sulphuris naturam propè accedere nam & ipsi sulphuri diuiso, ac spagyricâ arte intèr se disiuncto frigida quædam quoque insunt, quæ ab ipso prodire solent, & partium separatione elici possunt.

Etiam frigid quædam Sulphuri licet calido insunt.

Neutiquam proinde quispiam mirari debet in arte nostra Galenicochymica seu Hermeticis fulcris nitente, à calidissimis quandoque frigidissima peti ac depromi, è contrâ vero à frigidis calidissima elici. Nostri enim Pharmacopæi qui adhuc se chymicos nondum planè profitentur, eô tamen solâ Hermeticâ disciplinâ iamiam peruenerunt, vt ex Rosis, Fragis, Cerasis ac alijs quibusdam, imò etiam ex aceto ipso spiritum eliciant, spiritui vini æqualem. Vinum Ribium, quod alioquin potentissimè refrigerat, artis vsu eò facili operatione deducitur, vt Maluatico assimilari queat. Et quis hos calores, in his & horum commemoratorum quæ inter cætera pauca protulimus delitescere crediderit? nisi Hermetica operatio spagyricis laboribus exercitata hoc ipsum ostenderet, manifestaret, ac ad nauseam vsque naribus aduersariorum obtruderet?

Ex calidis quandoque frigidissima prodeunt & è contrà.

Spiritus Rosarum.

Veruntamen orta suis attestantur principijs quid quæso dicendum? hic magnus est rhombus, sedenim concedamus orta naturam suæ originis sequi, ac eorum propaginem prorogatione similis fermè progeniei subsequi, sed ratione solûm genericâ, non autem in partes vel indiuidua diuisa ac dispartita. Exemplo sit nobis Acetum, id enim è vino natum quod calidum est, frigidum euadit, ac calorem vini dediscit, atqui vt cuncta his aduersatoribus benè inculcemus, vt sciant quâ occasione frigidum eua-

Aceti consideratio.

dat acfrigefaciens acetum, reſciant id fieri partim putrefactione quadam aut fermentatione ſequeſtrationem partium vino inditarum habente, aut ſeparatione ſpiritus inebriantis & caloris viuifici depreſſione vel euaneſcentiâ atque ſic diuiſis partibus contraria ex eodem ſubiecto, in quo hærebant, & cui inerant prodeunt & producuntur. Hic quid Spagyrica ars poſſit naſutuli conſiderent.

Plumbei pugiones aduerſariorum.

Nunc ad febres deueniamus, in quarum curatione inutilem & ineptum imô noxium eſſe olei vitrioli vſum inſulſi & inſipidi Calcanthomaſtiges comminiſcuntur, tam ſanè frigidis argumentis, ac ſi plumbeis pugionibus in pugnâ verſarentur, aiunt enim oleum vitrioli aſtringere, proindè obſtructiones augere, quæ poſtmodum putredinum cauſæ ſint futuræ, ideoq; febribus maiorem fomitem præſtituræ. Sed quantûm hallucinentur vide, hi enim non tantum habent ingenij, ſcientiæ vel experientiæ vt vnum atq; idem ſubiectum (diuersâ tamen ratione) contrarios effectus edere cognoſcant. Videant quæſo Rhabarbarum, quod aperit & ſtringit, itemque Abſinthium quod eodem modo operatur, tum & acetum quod potenter incîdit & penetrat ac interim quoque valenter aſtringit ac cohibet, deindè quoque maior eſt penetrationis & apertionis vis in vitrioli oleo quam aſtrictionis, quæ à iam dictis longè ſuperatur cum nullum ſit medicamentum valentius aperiens in totâ materiâ medicâ quam oleum vitrioli & Sulphuris quod ad naturam vitrioli accedit, Oxymella, oxyſaccharæ, Sirupi Bizantini, de duabus & quinque radicibus, de Eupatorio, Acetoſi ſimplices & compoſiti reſpectu olei vitrioli vmbræ ſunt, & mille paſſibus olei vitrioli in aperiendo vires non aſſequuntur. Iam verô oleum vitrioli tantam aſtrictionem non habet, quantum vitriolum ipſum in ſubſtantiâ. Ego ſanè ſi vitrioli oleum

Diuerſa qualitates rebus pleriſque inſunt.

Oleum Vitrioli valentiſſimè aperit.

vel

vel eius ſpiritus non potentiſſimè aperit ac penetrat, de omnibus aperitiuis remedijs ex Cathedris Academicis proclamari ſolitorum penitus deſperandum eſſe cenſeo.

Aſtrictionem quoq; vitrioli vehementem probant ex hoc, quod Diarrhæas & Lienterias oleum Calcanthi perſanet, ſed aduertant quæſo, id non tam ratione adſtrictionis fieri, quam modo correctionis cuiusdam, quæ corruptos humores in corpore naſci prohibet, quorum occaſione Diarrheæ naſcuntur. Itaque inteſtinorum leuitas, Lienteria ac Cæliaca affectio, ideo ab oleo vitrioli ſanationem percipit, quod coctio ventriculi qui cibum prius corrumpendo deſtruxerat, & alimentum deprauauerat rurſus inſtauretur, ac aſſumpti cibi deſtructio prohibeatur ac bilioſorum & acrium humorum Diarrhæam cauſantium prouentus ac pululaſcentia præuertatur, atque ſic per accidens ſanationem efficit, licet ſimul adſtringat, quę tamen aſtrictio, aperiendi eius vi nihil derogat.

Oleum Vitrioli non ſola aſtrictione ſed correctione materiæ peccantis Lienterias compeſcit ac Diarrhæas cohibet.

Eô autem deuenit hominum quorundam non dicam calumniatio ſtulto delirio prægnans, ſed vel inſolentia vel malitioſa proteruitas, vt oleum vitrioli (ne id frigefacere poſſe fateri cogantur) acidum eſſe negare ſint auſi, quatuor ſolummodo ſenſibus præditi, vt qui guſtum præter intelligentiam amiſerint, cum oſtendere nequeant quid quam in toto terrarum orbe quod ſit oleo vitrioli acidius, quod proinde doctiſſimi viri quibus hi Calcanthomaſtiges ne minimûm quidem pares ſunt, vel eſſe poſſunt, modo acetum terreſtre, modò Acetoſam mineralem, modò ſuccum acidum eſuriuum nominare conſueuerunt. Proh quanta ſtupiditas? quæ etiam homines ſenſu priuat, cum ſtulti hanc aciditatem ne dicam fateantur, ſed etiam accuſent. Hoc eſt agnitæ veritati repugnare, hoc eſt ſenſibus obluctari, hoc eſt ſtuporem ſuum prodere, hoc eſt menti

Inſipidi me ſenſu priuati acorem oleo vitrioli ineſſe contra ſenſum negant.

contraire, hoc est dementiam suam fateri, hoc est sensuum suorum priuationem agnoscere, hoc est ipsi experientiæ, rationi, & sensui, impudentèr & malitiosè repugnare, à qua mentis oppressione vel extrauagatione nos Deus liberet qui nobis sensum gustus, summamque oleo vitrioli aciditatem concessit & largitus est.

Acida plerũq; sunt acria.

Ast aiunt vitrioli spiritum ac oleum Calcanthi non esse acidum, sed acre, ego autem id cum sani ingenij hominibus & acre & acidum esse scio ac agnosco, cum pleraq; acida acria existant vt apparet in aceto, quod quò est acidius, eò est acrius, nec scio vtrum vlla aciditas in toto mundo aciditati olei vitrioli sit æquiparanda. Sanè acidi fontes, quos acidularum nomine comprehendimus à vitriolo aciditatem suam sortiuntur, de quibus postero capite agemus, quibus vulgus nomen indidit **Saurbrunnen.** Sed quid contra principia negantes pugnamus? & rancore seu irâ (sed tamen iustâ) nos perturbamus? stultescant qui spontè stultescere volunt, & insaniant ac debachentur quamdiu voluerint si modo id sinè hominum noxâ vel detrimento faciant, quibus tanti Medicaminis detractio, & negatus vsus vitæ parit dispendia, qui interuentu tam insignis remedij conualescere potuissent, vndè meritò ij Calcanthomastiges pœnitentiam agant, quod à morbis euadendi præcipuum auxilium mortalibus denegare conati sint, illisque à morte vindicandi spem ademerint.

Acidi ex vitriolo fontes vulgo **Saurbrunnen.**

Oleum vitrioli putredinem corrigit.

Sed ad febres reuertendo, quid quæso est quod potentiûs putredinem corrigat quam oleum vitrioli? quod non vnâ sed diuersis qualitatibus eidem resistit, aciditate nimirûm, salsedine, acrimoniâ, aperiendi vi, ac valentis penetrationis virtute, aciditate namque suâ bilem domat ac perimit, acrimoniâ incidit, terget, attenuat, salsugine putrilaginem corrigit ac corruptionem emendat, vnde febri-

bus

bus omnibus conducit siue eæ continuæ siue intermittentes fuerint, cum appropriatis vel aquis, vel succis aut liquoribus,tum etiam Syrupis vsurpatum: Doleo quorundam vicem qui aciditatem olei vitrioli non agnoscunt & tam pertinacitèr luci veritatis sese opponunt,non putarim ego eos id ex stultitiâ, sed ex merâ pertinacia vel malitiâ facere,cum totus Horizon noster ineptiam eorum rideat, iniquitatem vero auersetur.

Aduersarij ab omnibus rídentur.

Præterea quoque obijciunt nobis hoc,vitrioli vim chymicâ præparatione exaltari & extendi vel intendi, nesciunt autem vel non intelligunt,quædam mineralia vstione mitescere,aliqua verô exasperari & acriora euadere. Iam vero si oleum vitrioli considéremus, id separatione eius impuritatis quæ corpori Calcanthi inerat, multo redditur innocentius,iam enim Sulphur,Sal,Gilla, Colcothar, & similia ab eo recesserunt & separata sunt. Vorate vos adversarij Helleboros vestros non præparatos, & Agaricos crudos,si præparatio medicamentorum quam prisci quibusvis vel plerisque pharmacis adhibebant adeô noxia est,vt eorundem petulantiam augeat,quod contra omnium præteceſſorum nostrorum honorem pugnat,qui in corrigendis simplicibus tantoperè laborarunt, ac studium ferè omne posuerunt. Itaque correctionem hanc adeptum oleum vitrioli, ac arte Spagyricâ à fæcibus repurgatum suas (si tamen quas habuit) noxas deposuit, & iam nobile medicamentum euasit, quod antehac austeritate non carebat.

Alia obiectio diluitur.

Correctio Vitrioli.

Ridiculum porro istud est, quod vitriolo aduersi asserunt,multos nempè fuisse viros doctos in Italia, qui nihil de Calcanthi viribus docuerint vel tradiderint, ac si tota rerum scientia ab ipsis vel esset vel fuisset petenda? annè ego scire nequeo vel cognoscere non valeo vel possum

Adhuc alia obiectio expungitur.

quod alter ignorat? eſtnè ſemper in antiquam ſyluam eundum? Hippocrates noſter Rhabarbarum, Sennam, Mannam, Caſſiam imò pleraque Aromata ac ne Saccharum quidem agnouit, niſi id per Mel in cannis intellexerit, ergò nos his non vtemur? quæ interim vſus fructifera eſſe monſtrauit? licet bonus ſenex eorundem cognitionem non habuerit, quæ poſtmodum locuplex ac fertilis Arabia primûm ſuppeditauit. Gaudemus nunc ligno Nephritico itemque Rhodio, Mechoacâ Guttâ Gamandræ, & ſimilibus, prioribus ſæculis nondum viſa, ſuntnè hæc igitur repudianda? forſan nobis iam demortuis alia medicamenta in lucem prodibunt, quæ nos iamdum ignoramus.

Noua medicamenta.

Non verò tantum habent intelligentiæ noſtri aduerſarij vt oleum vitrioli liquoribus quibusuis admixtis temperari poſſe intelligant, id enim infrigidat cum frigidis, calefacit cum calidis, etenim oleum Calcanthi omnium Medicamentorum vt iam crebrò monuimus vires ac facultates intendit, vigorat, & expedit.

At verò Cauſticum eſt vitrioli oleum & in ſummo gradu calidum, ideo intra corpus non vlurpandum ſi opinioni contrariæ ſubſcribere voluerimus: ſed dicant aduerſarij cur Allium deuorandum porrigant, quod veſicas ſuſcitat, quid de Euphorbio, Ranunculo, Synapi, Eriſymo, Capſiâ ac Raphano marino reſpondebunt? quid de Caſtoreo quod itidem in quarto gradu calidum exiſtit euulgabunt? legant quæſo venenorum ſuorum catalogum ac Cantharides ſuas deglutiant, adeoque ſeſe ipſos carpant antequam alios obiurgare incipiant. Iſta vero in cathedris non docentur vel diſcuntur, ſudore prius opus eſt, interroga proinde clariſſimos Germaniæ noſtræ viros, vtpote Hartmannos, Rumleros, VVidemannos, Andernacos, Berckmülleros, Cneulinos, Hôchſteteros, Adolphos, Verbezios, Baicros,

Multa in quarto gradu calida intra corpus ſumuntur.

Clariſſimi Viri Germani vitrioli uſum extollentes.

Baieros, Brendelinos Oxios & consimiles hi tibi vitrioli vires & vsum significabunt, quem adeô compertum habent ac proficuum vt de tanto medicamine pro Dei gloriâ & proximi salute sibiipsis plurimum gratulentur, ab his remedio hoc perfrui disce. Atque hic habes oleum vitrioli quod est inter medicamina Hercules quidam qui tot miranda facta præstitit, angues enim à Iunone immissos in cunis adhuc vagiens illisit, ita vitrioli oleum pestilentes morbos interimit, hydram multis capitibus pullulantem in Lernæa palude oppressit, Erymantheum aprum interfecit, Symphalides aues sonitu ahenei crepitaculi profligauit & expulit, Centauros domuit, per quos febres intelligo, Busyridem Ægypti regem seu bilem hospites suos necantem occidit, cuius præclara facta omnia cum oleo vitrioli concordant, ducatur igitur huius

Comparatio olei vitrioli cum Hercule.

Herculis inuicti nodosum robur in agmen. *Codrus.*

etenim non est adeo hic Hercules metuendus cum ad Omphales Lydorum Reginæ amorem confestim mitescat vt ea iubente fusos & lanas tractauerit, ijs ipsis manibus quibus portenta subegerat, quod ei probro dat Deianira de hac Propert: lib: 3.

Omphale in tantum formæ processit honorem
Lydia Gigæo tincta puella lacu: *Omphale.*
Vt qui pacato statuisset in orbe columnas
Tam dura traheret mollia pensa manu.

Sic igitur hic Hercules licet fortissimus, robur suum aliquantispèr deponit, & effæminatur, adeoque mitescit, vt ab infantibus ad colum fusos tractantibus securè vsurpari ac tractari queat, & iam

Ridet amatorem Lyda puella suum, *Ouid. lib: 2. Fastor: Stat. lib: 10.*
Amphitryoniadem exutum horrentia terga.

Proindeq; tutissimus olei vitrioli vsus existit, nam licet in se consideratum fortissimum medicamentũ sit, potest tamen

tamen id ita temperari, vt euadat leuissimum, & ex eius fortitudine nil aliud apparet vel colligi potest, quam eius vis, nobilitas, & perfectio. Ausim dicere oleum vitrioli ita corrigi, attemperari & eò adigi posse, vt tutius vsurpetur in pluribus morborum quorundam constitutionibus quam vel Saccharum, vel Manna, sed id paulo post patebit. Vide Galenum qui Cantharides inter pernicioſa pharmaca erosione necantia ac interimentia reduxit, in parcâ tamen quantitate sumptum eorum puluerem sed debitè permixtum vel accommodatum, renes expurgare & vesicam nihil offendere fassus est. Non sunt hæc plenis manibus deuoranda, sed dexteritate quadam in vlum probum ac proficuum deducenda. Scribit non iniquè doctissimus Gesnerus lib: 2. & 3. Epistol: cum Medici personâ, titulo, nomine vel famâ dignum non esse, qui inter medicandum oleo vitrioli se carere posse temerè existimauerit. Ego sanè adhuc hodiè à Medicinâ discederem, nomenq; meum potius militiæ darem, aut opus quoddam Mæchanicum affectarem, si vsu vitrioli priuatus forem, vel mihi Calcanthini olei exhibitio interdiceretur.

4. Simpl: 19.

Seuera Gesneri in Calcanthomastiges sententia.

Quid quæso Syrupi nostri Saccharati ac Melliti confestim bilescentes in picrocholis sunt effecturi? vel profuturi Ictericis? ac Regio morbo detentis? in quibus iecur quod dulcia statim arripit infarctu plus magis ponderascit. Galenica nostra culina Sale & Aromate profectò careret, si ei oleum vitrioli denegaretur, id enim est omniũ medicamentorum stimulus, acetositatem habens & acredinem penetratiuam, aliorum medicamentorum vires ad loca destinata deducentem, eorundemq; energias intendentem, vigorantem, ac denique perficientem, quæ alioquin mirâ fatuitate inania deprehenderentur.

Syrupi Saccharini protinus bilescunt.

Oleum Vitrioli est Sal medicamentorũ, siuè quo nihil vel parum illa sapiunt.

Audi quæ Iacobus Mokius in libro de aquarum affectionibus

nibus seu Lib: de Causis Concrectionis & Dissolutionis ex Petro Seuerino refert. locus eius sic habet. *Sacchari & Mellis præsentia sæpè noxia fuit: si spiritum mellis acutissimum & venenatum, si sacchari abominabiles fæculentias conspexissent Arabes, parciores & cautiores procul dubio fuissent, in prolixâ & nimis amplâ Syruporum ostentatione.* Vide Crat: Holl: de apparatu Sacchari,& Gryllum de Saporibus.

Nihili hic facimus vel parui pendimus auctoritates aliquorum qui vitrioli facultates & vtilitates vel vires non intellexerunt Obserua quam titubantèr Galenus,Paulus, Aëtius ac cæteri de Calcantho scripserint, quando fortissimæ vitrioli astrictioni insignem calidiratem coniunctam esse agnouerunt quidem, sed quo pacto id contingat vel eueniat non sunt assequuti, cum tamen aduersas qualitates eidem subiecto inesse ac inhærere fassi sint, quæ spagyrica operatione ab inuicem separari possunt ac dirimi. Amicus quidem Plato, at magis amica veritas.

Veteres titubantèr de Vitriolo prout etiam de Hydrargyro scripserunt.

Tandem vero oleum vitrioli aiunt corrosiuum esse & exulceratiuum,atque id quidem verum est, si ineptè quis eo vtatur,culpandus ne culter accuminatus vel nouacula quæ infanti data læsionem ei intulerit? vel quâ sese improuidus quispiam offenderit? Causticum sanè est oleum vitrioli & summè calidum,attamen diuersimodè accommodatum,vel debitè porrectum maximoperè refrigerat,stringit & sanat,ac nihilominus potentissimè aperit, vt nullum deoppilatiuũ ei ferè æquiparari queat, & cumprimûm diluitur,nullam amplius rosionem, nullam exulcerationem retinens,si mixtionis debita ei accedat proportio in liquore cui inditur & permiscetur obseruanda. Prôh dolor frigida hæc ac cruda ingenia,tantam tamque salutarem disciplinam doctrinamque capere non posse vel non velle, quibus pistrinum magis conduceret quàm Medicina, quam tanto Dei donario priuare ac in mortalium detri-

Caustio

Commiseratio auctoris.

mentum ſine propriæ conſcientiæ reſpectu vel obſeruantiâ orbare nituntur.

Argumenta aduerſariorũ irridentur.

Vltimò tandem cum ſua argumenta valdè cruda & non concocta elidi, expungi, poſthaberi, ſperni, explodi & à nemine concoqui minus quam ratificari cernunt aduerſarij, ad vlteriores calumnias confugiunt, vitriolum venenum eſſe dicentes, cum tamen Dioſcorides loco ſupra citato id vermes necare, ac venenatis fungis aduerſarij ſcripſerit, cuius textum agnoſcunt, doctrinam fouent ac dogmata ſequuntur. Accuſemus nos Galenici prius & excuſemus noſtras Colocynthidas, Helleboros, Peplia,

Venenata medicamenta plurima apud Galenicos reperiuntur.

Thitymalos, Coccognidia, Eſulas, Mezerea, Scammonia, Diagrydia & his ſimilia quæ planè venenata ſunt. Quod ſi nos ipſos intueamur toti venenis ſumus circumdati, quibus ne Crocus quidem ſecurus eſt, poſtea vero carpamus Hermetica ex Mineris vel Metallis deprompta medicamina. Sedenim confiteamur culpas noſtras, & quid de noſtris medicamentis ſcriptum ſit perlegamus. Nonnè 4 Regum de Colocynthide diſcipulos Eliſei Prophetæ perturbante, ſacra ſcriptura hæc habet. *Pone ollã grandem, & coque pulmentum filijs prophetarum. Et egreſſus eſt unus in agrum, ut colligeret herbas agreſtes, inuenitque quaſi vitem ſylueſtrem, & collegit ex ea Colocynthidas agri, & impleuit pallium ſuum, & reuerſus concidit in ollam pulmenti, neſciebat enim quid eſſet. Infuderunt ergô ſocijs ut comederent. Cumque guſtaſſent de coctione, clamauerunt dicentes: Mors in olla vir Dei. Et non potuerunt comedere.* Legant Meſuen qui quaſi Medicorum Euangeliſta quidam habetur, is pius & conſcientioſus vir in Medicâ materiâ multum diuque verſatus, & de Medicinâ plurimûm meritus de Colocynthide ſic ſcribit.

Colocynthis.

Meſue de Coloquintida.

Coloquintida eſt quam Perſæ vocant cucurbitam deſerti, quæ naſcitur in plantâ quam etiam fel terræ vocant eô quod in toto ambitu eius interficit herbas, & eſt ſicut venenum eis, undè vocant eam Arabes necem plantarum. Et paulô poſt. *Et terra ſupra quam iacet videtur ſicut adуſta.* Atqui

qui postea. *Conturbat suscipientem eam, & ventositatem cum difficultate facit, & soluit superabundantèr, & solutione educit sanguinem & fortasse interficit,* qui idē Mesue in canonibus hæc habet. *Et in solutiuo est timor fortis, ipsum enim quandoque mouet & non soluit, & quandoque superfluit.*

Medicamenta laboriosè soluentia.

Nonnè Mesueus in prodromo sui libri de Medicamentis simplicibus hunc titulum ponit? Capitula Medicinarum laboriosè soluentium in quibus est venenositas. Inter hæc prima ferè est volubilis, quam funem vocat arborū, de lacticiniorū genere sic de ea scribens. *Solutione enim educit sanguinem, & est sicut venenum.* Nunc autem Scammonium nostrum è specie quadam volubilis producitur; adeò vehemens pharmacum, vt inter omnia solutiua primas teneat, de quo Rex Damascenus: *Sunt ei familiaria, quæ in corporibus imprimunt magnitudinem nocumentorum. Est enim in ea ventositas mordicatiua in stomacho faciens subuersionem, nauseam, & turbationem laboriosam. Secundum est quoniam insunt in ea (scilicet Scammonea) caliditas & acuitas, habiles inflammari, & propter quod est facile facere cadere in febrem & sitim, & propriè quando inuenit patientem præparatum. Tertium est quoniam fit per ipsam attractio vehemens & vehemens dilatatio orificiorum venarum, quare facit cadere in immoderatos fluxus. Quartum est, quoniam in eo est serrositas operans excoriationem viscerûm: quare generat dolores acutos pungitiuos, & facit cadere in Dysenteriam & Tenasmum. Quintum est, proprietas & operatio sua, à quibus fit impressio nocumenti in membra quæ sunt mineræ virtutum, quæ sunt sicut Cor, & Hepar, & stomachus & similia eis.*

Forsan Venenositas.

Scammonium.

Nostrum Turbith *declinat à proprietatibus bonis,* auctore eodem Mesue, qui Agaricum præter eius correctionem, vel non præparatum, læsionem visceribus imprimere & ea debilitare scripsit. Huic & Squilla sola nascens venenata habetur ac suspecta est. Alexander Hermodactyles auersatur, inquiens. *Inimicatur stomacho aggregans in eo superfluitates plurimas & generans in eo ventositates grossas.* Sed & Iris rectificatione indiget, quę Spicâ, Melle, Aquâ casei aut Mastiche opus habet.

Turbith.

Squilla.

Hermodactyli.

bet. Quid de Cucumere Asinino dicemus ac succo eius officinarum Elaterio, de quo pharmaco sic scribit Mesue. *Et scito quod solutio ex eo quando superflua est educit sanguinem, Centaurea vero idem facit, solutione namque superfluâ educit sanguinem, aperit enim orificia venarum apertione sanguinem manare faciente.*

Cucumer Asininus & Elaterium.

Carthamus.

Carthamus verò antiquis dicitur conturbatiuus, faciens nauseam, & multum nocens stomacho, & *dicitur* (inquit Mesue) *quod caseat lac in mamillâ & stomacho.*

Euphorbium.

Euphorbium nostrum valentissimè exiccat & rubificat & est ex arbore desertorum locorum hispidorum, vehementis acredinis, & est vt Mesue iam modo dictus innuit *adustionem faciens & excoriatiuum, & est ex facientibus operationem cum labore & angustiâ vehementi, perducente ad syncopin & sudorem frigidum.*

Mezereon.

Mezereon planta est apud Persas vocata *vitam rapiens,* & à quibusdam *faciens viduas,* & à pluribus *Leo terræ.* De hac Mesue. Et quando oritur ex eo planta vna, in toto ambitu loci est mortalis. Et quæ oritur in locis Thermarum est sicut venenum. Et paulò post *est enim in eo virtus acuta ignea, & acrimonia vehemens, & est excoriatiuum, ulceratiuum, serrosum & inflammabile, & est consumptiuum & dissolutiuum virtutis.* Et iterum: *est proximum veneno nocens membris quæ sunt mineræ virtutum, debilitans & dissoluens ea.*

Esula.

Quid nunc de Alsebra seu Esula dicemus? quam solutiuum rusticorum veteres vocauêre, id hoc habet à priscis encomij quod abscindat viscera, & orificia venarum disrumpens noceat cordi, hepati, & stomacho, consumens sperma & faciens caderein febres.

Cyclamen.

Annon Luf dicitur collum Draconis, Arthanita vero panis porcinus & panis Alcurith quod est Cyclamen.

Helleborus.

Helleborus seu barba Alfugi, *in natur accidentia terroris* qui albus cum fuerit corporibus nostri temporis est molestus, imò est eis sicut venenum propriæ prætocans, & sanis corporibus noxius, vt Hippoc: monuit. Desinamus igitur oleum vitrioli (de quo tales querelæ

non

non audiuntur) vituperare, priusquam nostra remedia, medicamina, ac pharmaca excusemus, cum nullum sit electiuè purgans à veneni labe innocens vel immune, quibus nostra pharmacopolia turgent. Quid de Thapsiâ, Napello, Thymelæa, Brioniâ, Aconito, lapide Armeno & similibus dicemus, vel interrogati respondere poterimus? quorum abundantiâ ac superfluitate oneramur. Sed hæc hactenus dicta sufficiant, quibus inhærendis plus temporis, chartæ & Calcanthini atramenti consumpsimus, quàm nobis indocibilia & nullius instructionis capacia aduersariorum ingenia restituere possunt. Quod si quis his obloqui tentauerit audax veniat, videbit quæ in arenâ hâc hærebunt, & cum dedecore inutilitèr fatigatus pugnabit, magnum enim est facinus diem in noctem vertere, hominibus conualescentiæ occasionem & materiam subtrahere? Ioui ignem suffurari, ac Herculi clauam demere voluisse.

Auctoris comminatio.

Quæ quæso est hæc ratio vel intelligentia tam iniqua? vel impietas aut nequitia crimini læsæ Maiestatis comparanda? tam vtile remedium ex pharmacorum nostrorum cætu, cui nostra medicamenta haudquaquam sunt paria, & vix quandoque digna vt tergo vitrioli hæreant, & eidem pedissequentur, proscribere volens? forsitan autem (quia nonnihil laboris requirit eius præparatio) ex area Medica eliminare ausa? Proh quanta præsumptio, sibi talia persuadens? vt alios quoque qui plus laboris in hac re posuerunt suis confestim somnijs assensum præbituros ac eas vanitates suscepturos, nescio quâ imaginatione crediderit.

Audacia aduersariorum.

Si mundus nondum insanus est & delirus, periculum certè est de futurâ Phrenesi, vel aduentanti Maniæ bonis ac fortibus vel potentibus Alexipharmacis in præcautionem eidem erit succurrendum, prospiciendumque.

Mundi dementia.

DEO Opt: Max: pro mu-neribus Vitrio-lo gratias a-gimus.

Deus Opt: Max: nobis vitriolum hoc quod nobis benignè largitus est, clementèr custodiat ac seruet, atque in eo adhuc latentes virtutes nobis nondum cognitas patefaciat, quas ipsemet summus rerum omnium moderator, huic minerali, humano generi seruituro indidit, vt nomen eius benedictum plus magis glorificetur. Interim pro Calcanthino hoc præmio altissimæ Trinitati sit honor, gloria, & gratiarum actio in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT VNDECIMVM.

De fontibus acidis Vitriolatis, seu Acidulis, ac aquis medicatis Calcanthinis ex eius minerâ fluentibus: nec non Thermis æreis quæ à Cupro vim suam sortiuntur.

Aquæ minerales diuersæ speciei.

PRoducit natura ex gremio minerarum iubente Deo domino aquas quasdam quodammodo alienas, sapore, gustu, olfactu & quauis aliâ ratione à communibus fontanis aquis longè diuersas, quarum aliquæ Nitrosæ sunt, aliæ Gypsum habentes, aliæ existunt Sulphureæ, deindè quoque Salsæ, Aluminosæ ac Bitumine infectæ, imô Aurum quandoque habentes, inter has non minimæ existunt Cupreæ, æroſæ, vel vitriolatæ, quibus maxima sanationis vis inest, prout quotidiana testatur experientia, debentur e-

Metallorum proprietates.

nim Soli seu Auro confortantia, Argento seu Lunæ purificantia, Stanno seu Ioui deprimentia, Saturno vel Plumbo solidantia, Marti vel ferro constrictiua, Cupro seu Veneri mundificantia, Mercurio verò subsunt ac subiacent venena, ita vnumquodque ex Metallis suam sortitur laudem, eâ dote quam præstat insignitum. Inter has primum locũ tenet fons acidus Schwalbacensis vino fermè similis, vndè

etiam

etiam der Weinbrunnen dicitur, ac vocari meritô meruit, quiomnes Acidulas bonitate, ſapore, & efficaciâ ſuperat, hunc ſequuntur Spadanæ aquæ, dehinc Ebenhuſanæ, Vberkingenſes, Ægrinæ, Göppingenſes, Niderauenſes, Peterſtalenſes, Griesbachenſes, Nider & Oberbornenſes, Dirkenfeldenſes, Federinæ, Treuirenſes, quibus adhærent fontes in Ponderborn, Keſſelbrunn, Conderthal, Leüningen, Kronenberg, Montebaur, Bruz, & conſimiles alij, qui exminerâ Cupri ſeu æris & vitrioli prodeunt vim ſuam exindè ſortitæ. Atqui verò hæ omnes potu & balneo valent, internè non minus quam externè corpus mundificantes, extergentes ac purificantes. In his excellunt Cellenſes vulgo Zellerbad, Alumine, Sulphure, & Cupro conſtantes, hæ omnes fermè iecoris affectiones adiuuant, cuiuis perſonę, ætati, ac ſexui familiares: hæ tepidæ profluunt, vndé naturam ſuam teſtantur quod nec calefaclendi vim obtineant, nec frigefaciendi robur eis inſit, proindeq; reiuveneſcere faciunt homines vt modogenitis aſſimilari poſſint, reſtituendo eis natiuam temperiem, exceſſus quoſuis temperando, viſcera corroborando, ac tonum eorundem reſtituendo vel reparando. Succurrit proindè aqua ea longis, prolixis, ac inueteratis febribus à pituitâ cum bile mixtâ profectis, ſanat vlcera diuturnâ roſione moleſta, quæ etiam ſi maligna fuerint conſolidat, & cicatrice claudit: articulorum dolores auffert, tollitque caninam appetentiam præſertim vero calidis ac ſiccis temperaturis apprimè vtilis ac proficua. Præterea valet contra Maraſmum Dyſenteriam, Calculos, Peripneumoniam Tuſſim, vrinę ardores, Catarrhos, Maniam, Melancholiam Hyppochondriacam maximè, quam perfectè ſanat, itemq; contra defluxiones periculoſas, vomitus, Nauſeas, cutis vitia, Icterum, obſtructiones Iecoris & Lienis ac omnes hæmorrhagias, ſiue ex naribus,

Acidi fontes Germaniæ.

Thermæ Cellenſes vulgo Zellerbad.

Virtutes thermarum Cellenſium.

naribus, aluo, inteſtinis, aut hæmorrhoidibus ſanguis profluxerit, habetq; ea in parte inter omnes aquas cupreas hanc prærogatiuam quæ & alijs quoq; aquis cuprum habentibus ineſt, vt ea quaſi cunctis cæteris dominio ſit ſuperior, nam & Abortus comprimit ac vteri rheumatiſmos perſanat.

Thermæ Cellenſes inter alias excellunt.

Sunt autem Thermæ Cellenſes quaſi quoddam ſpecimen vel paradigma omnium aquarum æroſarum ſeu Cuprum continentium, vtpotè inter cæteras eminentiores, quibus plurimi accedente Dei auxilio vitam debent, præſertim ij qui conſumpti, extenuati, macie confecti, hepatitide laborantes, aut hæmorrhagijs exhauſti prius fuerant, itemq; mulieres ex vteri rheumatiſmis malè habentes, ac abortiuos quondam fœtus vel irritos conceptus edentes, aut ægrè prolificantes, his enim hæ Thermæ ſubueniunt. Habent autem hoc commoditatis, vt acidulæ eis ſint vicinæ quæ ferè quotidiè eô deportantur, vt in his Thermis lauantes ſimul etiam aquis acidis perfrui poſſint.

Acidi fontes Thermis Cellenſibus ſunt vicini.

Acidorum porrô fontium vitriolatorum hęc virtus eſt & proprietas magno Dei opt: max: beneficio ijs inſita ac virtuosè conceſſa, vt febres quascunque præſertim vero bilioſas pellant. Etenim obſtructiones quaſuis expediunt, vndè morbis omnibus lecoris, Lienis, Meſenterij, ventriculi, & Renum eximiè proſunt, Icterum & Arquatum perſanant, vomitus adſtrictione ſua compeſcunt, oppilationes viſcerum nihilominus ſtrenuè penetrantes ac deobſtruentes. Incipientem præterea Hydropem ſanant, renûm calculos elidunt & atterunt, arenulas eluunt, veſicam & vreteres repurgant, picrocholorum ſymptomata corrigunt, Lienem extenuant, Melancholiam hypochoriacam depellunt, appetitum inſtaurant, imô nauſeantes reddunt famelicos. & eſurientes, ſitim immoderatam ſedant, pro-

Acidularum vires ac facultates penè infinitæ

ſunt

prosunt iccinorosis, ac quos bilis infestat, vel quibus cholera molesta est, coctionem ventriculi instaurant, ac eius facultates reparant, ac si quid prauum in corpore delitescit, id euocant, lotione scabiem, Impetigines, Lichenas, Psoras, incipientes Lepras, & quæuis cutis vitia emendant, vlceribus fædis, gangrænosis, ac fædum pus euomentibus auxiliares, imò earundem spuma, si siccata iam dictis vlceribus inspersa fuerit ijs vt plurimûm conducit, participat enim vitriolum cum sale, vndè mundificat & putredines auffert, itemque cum Alumine propter quod adstringit, tum etiam cum sulphure vndè extergendi facultatem sortitur, ipsum autem per se & in sui naturâ consideratum, acidum est, aperitiuum, incisiuum, penetratiuum, attenuatiuum, & nihilominus astrictoriũ, diuersos effectus edens, ac distinctas facultates possidens, quas etiam Galenus loco prius citato suspexit & admiratus est, quando calori Vitrioli non leuem astrictionem inesse fassus est.

Acidi fontes Vitriolati externum cutis vitijs prosunt.

Itaque non immeritô ad fontes hos benedictos & salutares quotannis tot hominum millia confluunt, ex quibus pleriq; (si tamen benè se gesserint) conualescunt & pristinam sanitatem adipiscuntur. Oportet autem corpora ansè earum aquarum acidularum seu vitriolatarum vsum commodè disponere, humores nempè prius concoquendo & expurgando, vt viæ his aquis pro liberiori penetratione existant patulæ, nihilque sit obstaculi quod earum transitum præpedire possit. Conducit igitur summoperè, etiam intra vsum acidularum alternis hebdomadibus purgans medicamentum, sed id leuiusculum assumere, nisi alvus sponte fluat. Perquam vtilitèr verô vsurpantur pilulæ ex Aloë Rosatâ aut Marocostinæ nostræ, peculiari volumine descriptæ, harum antè cœnam duæ tresue quaternis diebus semel deglutiantur, quarũ quęlibet duo grana pendeat,

Cautio in acidularum vsu adhibenda.

Pilula Aloetica.

aliquando, vna sufficit pilula, si tamen alternis diebus assumatur, sic enim acidularum vis vigoratur ac quotidiè decedit id, quod aquæ medicatæ colliquarunt & fluxilè reddiderunt. Euenit enim vt sub pluuiâ cœli constitutione acidularum virtus quandoque reddatur infirmior, tùm enim auxilio & adminiculo tali vel consimili indigent, aut sunt admixtione Spiritus vitrioli vel olei Calcanthi vigorandæ, sic enim animam suam propriam recipiunt, & in gradu suo exaltantur ac redintegrantur.

Austrina cœli constitutio acidulas reddit infirmiores.

Hoc autem peculiare fontibus acidis inest, quod pulmoniacos, phtisicos, & pneumoniacos itemque Empicos non tolerent, hi enim omnes ex acidularum potu offensam capiunt, & noxam patiuntur imò moriuntur, nisi earum potum protinus detrectaue int. Germani quoindè dicunt **der Saurbrunnen wirfft die Lungensichtige auß**, consummatæ quoque Hydropi inutiles exittunt, etenim nimis refrigerant, ideoque Iecori iam à frigore labefactato obstunt. Vides hic candide lector, me non ita vitriolo addictum esse, vt id vniuersis morbis familiare esse ac proficuum existere asseram, proindeque veritatem fassus, hæc studiosè monui, vt quæ de eius vtilitatibus plurimis suprà scripta sunt, eadem quoque veritati niti facilius conspiciantur.

Acidulæ in quibus casibus vitandæ.

Præterea quoque offendunt acidulæ Dysentericos, & quibus exulcerata sunt viscera, ob aciditatem & acrimoniam quæ eis inest, alioquin verò omnibus ferè corporis affectibus prosunt, præsertim vero ijs, qui nutritionis membris officiunt. Plurimi earum effectus ac operationes in oculis cumprimis persentiscunt, ij enim primâ vice ex earum vsu oblædi videntur, cum tamen solummodò repurgentur & confestim politi claresçant. Scio equos quosdam ex Acidularum potu quasi suffusione laborantes occæcatos fuisse, qui tamẽ secundâ vel tertia die, longè quam

Dysentericis Acidularum potu offenduntur.

Mirabiles Acidularum effectus.

antea habebant, clariorem lucidioremque visum sunt adepti, protrudunt enim ex oculis fæces & purulentias quasdam, quæ per angulum lachrymalem excluduntur. Aliquî porro equi scabri efficiuntur, ac pilos deponunt ac si Alopeciâ laborarent, sed nouo quodam cutis suæ tegumento, magno sanitatis suæ commodo mox iterum vestiuntur, ac innouatione eâ quodammodo reiuueneſcunt. Sed hæc ad Veterinariam spectant.

Vsus porrô Acidularum ipsi vulgo est iam cognitus, cum adeô crebra fit earum vsurpatio. Bibuntur autem manè ieiuno sanè corpore ac vacuo ventriculo, pro personæ, occasionis, ac morbi indigentiâ, itemque vesperi finita prandij coctione, subsequente mox corporis exercitio vel commotione quæ sudorem vel saltem vdorem prolicere possit, qui postea linteis calentibus aut tepefactis abstergi omninô postulat. *Vsus Acidularum.*

Certa porro eius bibitionis mensura definiri non potest, cum vni libra sufficiat aut semilibra, alteri quatuor aut quinque vix sat sint, vbi enim Acidulæ exitum sibi siue per sudorem, siue per aluum, vel vrinam parauerint, nec ventrem grauauerint, aut exsufflauerint, aut hypochondria distenderint, sed felicem ac promptum transitum fuerint sortitæ, tunc liberè & absque periculo lautius & satis largâ quantitate potari possunt. Sunt qui eas ante bibitionem calefaciant, ego autem eorum consuetudinem nec probo nec assequor, cum vel tepefactæ tantummodô, vim suam excellentem, subtilem, & spirituosam amittant, & euanidæ quasi fiant grato suo sapere priuatæ, ideoque parum efficaces, vt quibus potior virtutis suæ pars discesserit, ac euaporarit. Licitum est autem cuique Acidulas poraturo, antè earundem ingestionem vel assumptionem, oui recentis ac sorbilis vitellum deglutire, aut quidpiam de Tragemate *Quantitas bibendi.* *Acidulæ tepentes vel calefactæ vim suam amittunt.* *Obseruatio.*

grosso, vel Morsellis ex speciebus Imperatoris confectis præmasticare, sic ventriculus libentius potum aquæ frigidæ tolerabit, minusque eius vsum auersabitur. Atque hæc de Acidulis quarum virtus nullo volumine comprehendenda dicta sufficiant, qui plura de ijs cognoscere sattagit legat Fuchsium, Gallum Eschenreütterum, & præsertim Iacobum Theodorum Tabernæmontanum in libro quem de thesauro aquarum inscripsit vulgo **wasserschatz**. De cætero Domino Deo agamus gratias, quod tris salutaribus aquis Germania nostra dotata ditataque sit, quas ex fonte Göppingensi petitas, ante aliquot annos pro Illustrissimo Principe seu Duce Mantuano deuectas, & in Italiam deportatas esse scio, cum tunc temporis circa Acidulas eas commorarer. quales etiam ex Spadano fonte in Gallias & Angliam transferri cognouimus. Benedictus Deus nobis sæpius per has aquas, pro sui sanctissimi nominis gloriâ, & nostrâ salute auxiliari dignetur, cui pro tanto beneficio merito gratias agimus, eius liberalitatem prædicantes, ac thesaurorum suorum magnificentiam & multitudinem indesinenter nos & gratis quidem ditantem, extollentes.

Auctores de Acidulis scribentes.

Acidi fontes in longinquas regiones deferuntur.

Dona DEI & præmia infinita.

CAPVT DVODECIMVM.

Breuem quandam totius libri recapitulationem continens.

ITaque in Anatomen & intima naturæ penetralia ingressi, cognouimus ac intelleximus Calcanthum seu vitriolum Minerale esse de Cupri naturâ ex Salium genere, diuersis substantijs imô aduersis quoq; qualitatibus compactum, ac viribus diuersis & inter se pugnantibus præditum. Insunt enim ei plurima refrigerantia, & multo plura calefa-

Mirabilia Vitrioli natura

calefacientia, quæ Spagyricâ arte, ac Hermeticis laboribus à se inuicem diuisa, diuersos effectus edunt, vnde quot in partes vitriolum separatur; tot distincta opera exercet, continet enim intra se aciditatem maximam, per quam potentèr refrigerat si cum appropriatis exhibeatur, alioquin idipsum non prestaret: habet præterea mordicationem, salsedinem, exurendi facultatem, acrimoniam, soluendi vim ac stringendi, quæ vni huic subiecto sunt à Deo indita & à naturâ concessa, expergefacit quoque ac consopit quę sanê mira sunt. Sed & ex frigido silice flammæ quoque prodeunt.

Videtur autem Calcanthi conditio per Herculis, Memnonis, & Protei in tam varias formas sese transmutare soliti historiam satis explicata, cum vitriolum modô Olei, nunc Ochræ aut Gillę, tum verò salis, indè vero & Sulphuris, ac Colcotharis, Æruginis, Misyos, Soreos, ac Terræ quoque demortuæ & dulcificatæ specie subsistat, à quibus omnibus & singulis tam præclaræ ac diuersæ virtutes prodeunt, quas iam modo commemorauimus, etenim Spiritui Calcanthino debentur Cephalica, Oleo partes nutritoriæ, Sali vlcera, Phlegmati eius cutis vitia, & sic deinceps, de quibus forsan plura sæculis accrescentibus propalabuntur. Epilogus.

Nos hæc pauca pro Dei gloriâ de vitrioli facultatibus, viribusque, in amicorum gratiam & proximi amorem, ac boni publici commodum hâc vice consignauimus, quæ beneuolus lector æqui bonique consulat, plura fortasse de Hermeticâ Medicinâ in libello de Medicinâ Lugente, seu Threnodiâ Medicâ, quæ hunc fætum Deo dante mox est subsecutura percepturus. Interim tamen si quid paulô austerius in Calcanthomastiges inuectus sum, ignoscant rogo pio meo feruori, qui me vt virum vitriolatum, acidum ac acerbum alitèr in hâc materia versari non permisit. Licet *Noui operis mox edendi intimatio.*

cet ideô mihi cum Cicerone Philip: 8. ista effari: *Me tecum iracundè agere dixisti soiere, non est ita: vehementèr me agere fateor, iracundè nego.* Fruamur igitur nos nostro vitriolo eiusque aquis ac fontibus Calcanthinis pro sanitate cum tuendâ tûm etiam reparandâ audactèr ac securè, quæ nostra repurgabunt viscera, quod & iam dudum quoque fecerunt, haud alitèr quam ea loricata fragmina vel Centones quibus coquinæ nostræ suas à crustis liberant sartagines, & ollas polientes extergunt. Sedenim hæc nobis vsus & experimentum patefecit, quod tanta humano generi beneficia vsurpatione vitriolatorum remediorum præstitit. Summus autem rerum omnium creator & rector Devs Opt: Max: æternus, immortalis, & misericors, ob infinitam suam gratiam & bonitatem, per quam nobis hæc & alia medicamina dono dedit & elargitus est, benedictus sit in sempiternum quiest Trinus & vnus, immensus, & adorandus in sæcula sæculorum Amen.

Loricata fragmina, Coulon dangerfleck.

FINIS.

IN

IN NOBILIS ET MAGNIFICI VIRI DOMINI RAIMVNDI MINDERERI MEDICINAE DOCTORIS SERENISS: BOIORVM DVCIS CONSILIARII ET MEDICI, NEC NON REIP: AVGVSTANÆ VINDEL: PHYSICI, IBIDEMQVE OFFICINARVM PHARMACEVTICARVM VISITATORIS IVRATI, ET COLLEGII MEDICI PRO TEMPORE DECANI SPECTATISSIMI DE CALCANTHO SEV VITRIOLO LIBRVM.

CARMEN.

Vitriphilos curare docet Raimundus, in arte
Vitrioli, negat hoc Italus hydrophilus.
Non habet osorem, quam docta scientia inertem.
Qui nisi vitriolum laudet ineptus erit.
Vino, vitriolum qui temnit sepè carebit.
Nec vini morbos vitriolo absque feret.
Cui laxata caro tumet hepatis atque fatiscit
Ventriculus lãnguens, vitriolumne nocet?
Haud equidem: methodum docuit Reimundus agendi.
Cui bilem mouit, sumito vitriolum.

HONORIS ET OBSERVANTIÆ VOCABVLO POSVIT.

PHILIPPVS MAVRITIVS SCHONLINVS, MEDICINÆ DOCTOR, ARCHIATER FRISINGENSIS.

ALI

ALIVD EIVSDEM.

Eruta multa, ruentq; polo moderante Theatrum
Mundi, nec mirum, mundus & ipse nouus:
Minera si cesset, vires vix planta tenebit,
Forsan vitriolo nulla carere potest.
Viuat vitrioli vires qui monstrat, ineptum
Arcana hæc pudeat discere nolle virum.

AD D: D: RAIMVNDVM MINDERERVM.

IVLIVS SCHILLER VTRIVSQVE IVRIS DOCTOR REIP: AVGVSTANÆ ADVOCATVS.

Vitrioli inter tot dotes, sors prima videtur
Esse tuo quod iam fulgeat ingenio.

IDEM.

Fertur onus contra generosam surgere palmam:
Palmissat, libro hoc indice, vitriolum.

ALIVD EIVSDEM.

Vitriolum ut vitrum, non fert, scita nisi quæ sint
Et poliant, dextræ: errone? res loquitur.

IN CLARISSIMI VIRI DOMINI RAIMVNDI MINDERERI MEDICINÆ Doctoris, &c. BARTHOLOMÆI MOSERI eiusdem Medicinæ Doctoris, Reuerendissimi & Illustrissimi Principis ac Domini D: HEINRICI Episcopi Augustani ac Collegi Dilingani Physici ordinari.

EPIGRAMMA.

Vt sale sit epulas grato condire sapore;
Sic Medicina suo sit quoq; grata sale.
Vitriolum Sal est Medicinis, quo Sale prodit
Blandula & in multis certa medela malis?
Hunc liber iste Salem coquit, hunc parat usibus aptum,
Hunc simul à vitijs vindicat innumeris,
Ergo decus magnum hoc Medicinæ defuit; illi
Redderet ut doctâ MINDERER *arte Salem.*

ALIVD.

Si cui res Medicæ culpanda videbitur artis,
Audiat oraclum, quod fuderat Augustinus,
Fons doctrinarum, superêm decus, atq; magister.
Christiadum. Est medico non impius ille, tumorem
Qui ferit, ac ferro castigat pectus, & urit.
Artus ut sanet pius ingerit usq; dolorem:
Atq; molestus adest nisi talis inutilis esset.
Nec ferro solum grassantur, & igne medentes,
Verùm etiam accersunt ad opem quæ ladere credas,
Tetra venena, seu tellus effudit in herbis,
Seu natura parens animantibus indidit arma.
Attamen ingenij vis ignea, quâ mortales
Conditor instruxit, vel noxia nouit in usus
Vertere sanandi, mera toxica quis negat esse
Exitio? Confusa tamen melioribus herbis,
Ac succis per se vix, aut nihil effecturis
Robora dant, faciliq; malum medicamine pellunt.
Talis Calcanthi est vis ac natura voracis.
Siue manu facti, siue è tellure refossi.
Hoc Raymunde tuo claras doctissime libro
Asseris & sanos Calcanthi prouidus usus,
Qui renuit capere, Helleborum bibat ille meracum.

MAXIMILIANVS MERMANNVS
MEDICINÆ DOCTOR ET REIP:
AVGVSTANÆ PHYSICVS.

ALIVD
ANONYMI ET AMICI.

Vitrioli eximias qui vires nescit & usum,
Hic medicos inter nomen habere nequit.
MINDERER æterno celebrari nomine dignus,
Vitriola vires noscere qui docuit.

INDEX

Rerum quæ in hoc libro continentur.

A.

Acetum terrestre esuriuum. 68
Aceti consideratio. 89
Acida plerumq; acria. 92
Acidi fontes ex vitriolo. 92
Acidi fontes in Germania. 103
Acidi fontes thermis Cellensibus sunt vicini. 104
Acidularum vires. 104
Acidi fontes vitriolati externis cutis vitijs prosunt. 105
Acidularum usus. 105
Acidulæ infirmiores ex constitutione cæli pluuiâ. 106
Acidulæ vitandæ in quibusdam casibus. 106
Acidularum potus offendit Dysentericos. 106
Acidularum effectus. 106
Acidularum usus. 107
Acidulæ calefactæ vim amittunt. 107
Acidi fontes in longinquas regiones deferuntur. 108
Angeli sala emplastrum. 61
Anodynum minerale. 82
Aquæ minerales diuersæ species. 102
Ars spagyrica in vitriolo. 55
Arsenici oleum. 82
Actuarius & Celsus de usu vitrioli. 23
Author Deo pro muneribus vitrioli gratias agit. 102
Authores de acidulis. 108
Aerugo fossilis & rasa. 52

C.

Calcanthum cur Vitriolum dicatur. 1
Calcanthi definitio. 1
Calcanthi species. 2
Calcanthi diuersitas. 2. 3.
Calcanthum quid in se concludat. 4
Calcanthum unde oriatur & quomodo nascatur. 5
Calcanthi optimi nota. 7
Calcanthi exquisiti signum. 10
Calcanthi natura multa requirit ut intelligatur. 21
Calcanthum ad sulphuris naturam accedit. 89
Calcanthi qualitates. 22
Calcanthomastyges. 96
Calcanthum vulgare est, aqua congelata. 23. 27
Colcothar causticum. 49
Colcothar coquit vitriolum mortuum. 49
Colcotharis medicamenta. 51
Colcothar continet salsuginem terram dulcem, & alia medicamenta, 53. Cal-

Colcothar indulcatum. 54.55.56
Colcotharis vires. 57.59
Colcotharini emplastri descriptio. 58
Chalcitidis disquisitio. 50
Chalcitis Veneno resistit. 50
Chalcitis in Theriacā admittitur. 50
Calculus sanatur. 76
Chalybis usus. 86
Capitis affectus persanantur oleo Calcanthi. 71
Carthamus parit nauseam. 100
Celsus quid de Vitrioli usu sentiat. 25
Cyclamen quid sit. 100
Cucumer asininus & elaterium. 100
Cupri & ferri sympathia. 9
Cupri & vitrioli usus. 32
Cupri Calcanthum & eiusdem præparandi modus. 10.11.14
Cupri calcinatio. 12.13

D.

Dentium & Gingiuarum remedium. 70
Diphryges perfecti æris subsidens fæx. 61
Dysenterici acidularum potu offenduntur.

E.

Elementorum natura. 78
Emplastri Diacalcanthos utilitas. 53
Emplastrum Heræ. 54
Emplastrum ex salicibus. 54
Emplastri Colcotharini descriptio. 58
Eiusdem utilitas. 59
Emplastrum Magneticum. 61
Euphorbij vires. 100
Esula abscindit viscera. 100.

F.

Faber nullus ærarius scabiosus vitriolum tractans. 30.32
Fabrorum æratiorum commodum ex vitriolo. 32
Febres Chronicæ in Hydropem degenerant. 77
Febres oleo vitrioli persanantur. 81
Ferrum in cuprum mutatum. 9
Ferri & Cupri Sympathia. 9
Fons in Hnngaria vitriolatus. 8
Fons ferrum in cuprum transmutans. 8
Fons ærificus in Bauaria. 8
Fontes ærifici in Italia. 8
Fons clauos in cuprum mutat. 8
Fons in Hungaria ferrum in cuprū commutat. 8

G.

Galenus quid de vitriolo. 24
Galeni itinera pro medicamentis indagandis. 29
Gallinæ obdormiscunt sumpto sulphure vitrioli. 65
Gallus gallinaceus vitriolo comparatur. 82
Gangræna der kalte brandt. 88

H.

Helleborus eiusdemq; vires. 100
Hermodactylus. 99
Hydrops persanatur. 77

I.

Iecori morbi persanantur. 76
Isis squamæ æris. 53

L.

Lienis medicamenta. 77.91
Lixiuium è calce Veneris seu cupri. 14.
Lutum

Lutum Hermeticum. 67

M.

Medicamina ex vitriolo nunquam sine fructu. 18
Medicamentorum copiam Nymphearum multitudo designat. 18
Medicamina Epilepticorum. 28
Medicina tota vitriolo debetur 28
Medicamenta phlegmatis vitrioli. 34. 40.
Medicamenta ex vitriolo diuersa. 26
Medicamentum Antipodagricum ex Colcothare. 51
Medicamina ex vitrioli sobole Cupro. 54
Medicamenta Epulotica cicatricem obducentia. 54
Medicamen salis vitrioli. 62
Medicamen Lienis. 77
Medicina Hydropis. 77
Medicina olei vitrioli. 71. 72
Medicamenta venenata apud Galenicos. 98
Medicamenta laboriosè soluentia. 99
Metallum unumquodq; habet suam Mineram. 12
Metallorum transmutationem negantium lapsus. 10
Metallorum matrices. 1
Metallorum proprietates. 102
Mezereon planta apud Persas. 100
Missij Calcanthi species. 10
Mineralia mirè commutantur. 9
Milites vomiturientes ex arugineo potu. 52

O.

Oleum Calcanthi Rex medicamentorum. 67
Olei eiusdem præparatio. 67
Olei Calcanthi rectificatio & accommodatio. 68
Olei Calcanthi syrupus. 69. 70
Polypos & Ozenas persanat. 70
Putridos & canos dentes sanat. 70
Capitis affectibus seruit. 70
Oleo Calcanthi varia morborum genera curantur. 70. 71. 72
Oleum sulphuris acidum. 72
Olei sulphuris præparatio. 74
Oleum vitrioli excluditur à pectoralibus morbis. 75
Oleum vitrioli ad ventriculi morbos efficax. 75
Olei vitrioli variæ accommodationes. 75
Oleum vitrioli putredinibus aduersatur. 75. 92
Eiusdem usus in varijs morbis. 76. 77. 91
Oleum vitrioli omnes febres curat. 81
Olei vitrioli usus varius. 82. 83
Oleum Arsenici. 83
Oleum vitrioli defenditur. 90. 93
Valentissimè aperit. 90
Olei vitrioli correctio. 93

P.

Paracelsus quid de oleo vitrioli sentiat. 29
Pilulæ Aloëticæ. 105
Phlegma vitrioli. 28
Phlegma vitrioli conteminitur. 28

Instar unionis habendum, 29
Phlegmatis vitrioli utilitates. 30
Eiusdem utilitates. 32
Eiusdem operationes & effectus solennes. 82
Eiusdem usus & commoda in morbis, 33. 34. 35
Vim habet mundandi & aperiendi. 35
Proteus, Deus habitus. 18
Proteus comparatus cũ vitriolo. 17
Eiusdem dignitas. 17
Eiusdem descriptio, 17

S.

Sal & sulphur Calcanthi. 62
Eiusdem condensatio. 62
Eiusdem medicamentum. 62
Sandaraca auri pigmentum. 72
Sandaraca Græcorum venenũ. 72
Sandaraca Arabum. 74
Scammonium. 99
Syrupus apertivus. 77
Eiusdem fortificatio. 78
Syrupus laxativus. 78
Syrupus domesticus. 79
Synavia aliàs wasser. 57
Spiritus vitrioli seu essentia Calcanthi. 36
Spiritus vitrioli parandi modus. 36
Spiritus à phlegmate separandi. 37
Spirituum densandi & præparandi modi. 38
Spiritus vitrioli febrem Hungaricam curat. 39
Spiritus Diaphoreticus summè penetrativus. 40
Squamæ æris in Hydrope apud veteres usus. 52
Squilla venenata. 99
Sulphur vitrioli. 56. 65
Sulphuris præparationes. 56. 44
Sulphuris vitrioli oleum. 74
Sulphur vitrioli Narcoticum. 82
Scriptores veteres de vitriolo. 97

T.

Thermæ Cellenses. 103. 104
Turbith declinat à proprietatibus bonis. 99

V.

Venenata medicamenta. 98
Ventriculi morbi. 3. 4
Vitriolum quid sit. 3. 5
Vitriolum pallescens ad flauedinem demigrat. 6
Vitrioli delectus secundum solum, regionem, ac patriam. 6
Vitriolum Cyprioticum. 7
Vitrioli notæ quatuor insignes. 7
Vitriolatus fons in Hungaria. 8
Vitrioli laudati signa. 10
Vitriolum cupri nobilius quam vulgare. 11
Vitriolum veneris & eiusdem parandi modus. 14
Vitrioli phlegmatis cum aceto radicato coniunctio. 15
Vitriolum Martis seu ferri. 15
Vitriolum Smaragdos ac Saphyros adæquat. 15
Vitriolum omnes medicamentorũ vires continet. 16
Vitrioli confectio artificem recreat. 16

Vitriolum comparatur cũ Proteo. 17
Vitrioli medicina nunquam ſine fructu. 18
Vitrioli medicina ex multitudine Nympharum deſignatur. 18
Vitriolum eſt Leo, Draco, Sus Pardalis Arbor, &c. 20
Vitriolatæ gemmæ encomium. 20
Vitriolum omnium naturalium facultatum dux. 21
Vitrioli qualitates. 21
Vitriolũ adſtringit & caleſacit. 22
Ambuſtis medetur. 23
De Vitriolo quid Galenus. 24.25
Vitriolum non urit niſi prius vratur. 25
Vitrioli utilitates. 30.31
Vitrioli mixtæ qualitates. 26
Vitrioli partium diſcrimina, eiusdem operationes. 26
Vitrioli remedia diuerſa. 26
Vitriolum vulgare eſt aqua congelata ſeu glacies æroſa. 27
Vitrioli depuratio. 27
Vitrioli phlegma. 27
Vitrioli facultates carmine deſcribuntur. 31.32
Vitrioli phlegmatis uſus eiusdem Commoda. 33
Eiusdem uſus in Epilepſia. 33
Vitrioli phlegmatis remedia. 34
Vitrioli ſpiritus parandi modus. 36.37
Vitriolum uſtione in venenum tranſit. 53
Vitrioli ſal & ſulphur. 62
Eiusdem medicinæ & utilitates. 63
Vitrioli ſulphure gallinæ obdormiſcunt. 65
Vitriolum album vomitiuum. 65
Vitrioli magiſterium. 66
Vitrioli vigor. 79.81
Vitrioli comparatio cum gallo gallinaceo. 82
Vitriolum eſt minerale non metallum. 85
Vitrioli uſus inter germanos. 94
Vitriolum comparatur cum Hercule. 95
Vitriolũ quibus partibus conſtet. 88
Vitrioli natura mirabilis. 108
Vnguentum Apoſtolorum. 54
Vnguentum mundificatiuum. 64
Vſus Vitrioli inter germanos. 94.

Finis Indicis Rerum.

Laus DEO Deiparæq; Virgini MARIÆ.

Menda Typographica benevolus lector ſponte emendabit.

G1850 5